INDEX FIDEI ET RELIGIONIS, SIVE

C. 4. 1

DILVCIDATIO PRIMI, & secundi capitis Epistolę Catholicæ Diui IACOBI, Domini IESV CHRISTI Apostoli ac Consobrini, HYPOCRITARVM MALLEI: Qui sine bonis operibus, sordiumq; conscientiam polluentium euitatione, fidem & religionem puram ac impollutam esse, & consistere non posse docet.

Auctore THOMA TVKO, Anglo.

GAL. 5. 6.

In Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem agens.

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI.
Ex officina Nortoniana,
APVD IOANNEM BILL.



1658-87

HONORATISSIMO DOMINO, DOMINO FRANCISCO BACONO, EQVITI AVRATO, Magni Sigilli Angliæ Custodi, fœlicitatem omnigenam.

INCIDIMVS, vt videtur, in ea tempora molesta (Honoratissime Domine) quæ prędicta olim & descripta legimus. Fides enim ipsa fit ludo, multis friget charitas, viget hypocrisis, crescit iniquitas, grassantur passim vitia:

Heu viuunt homines, tanquam mors nulla sequatur,
Aut velut infernus fabula vana foret.

Quæ ſua ſunt, imò quæ ſua non ſunt, ſed aliena, curant *ſenes*, & meminerunt: quæ Dei ſunt, poſtponunt ſuis, neglectui habent, & obliuiſcuntur.

Voluptates ſuas, *noxias*, conſectantur *iuuenes*: non cogitant, quæ Deo placeant: ſeipſos odiosè amant, vanitatum amantes potiùs, quàm amantes Dei.

Diſcunt ipſi *pueri* impurè loqui, mentiri, maledicere, iurare, periurare, maiorum ſuorum monitis, vel ſaltem exemplis, edocti ac inducti. Nulla ætas, ſexus aut ſors hominum eſt, quæ non innumeris penè ſordibus inquinatur. Omnium proditionum, omnium ſcelerum, omnium vitiorum maturitas in noſtra tempora erupit. Imò ne Deo quidem ipſi parcitur: blaſphemiæ cumulantur, conciones ſacræ ac ſacramenta vilipenduntur, Eccleſiæ temerantur. Quæ ſancta, pia, ac venerabilis antiquitas Deo conſecrauit, ea profana nouitas, ſiue noua profanitas auſa eſt violare: quæ veneranda pietas contulit, hæc execranda impietas per ſacrilegium abſtulit.

Interim cùm multis modis ac mediis ad pœni-

pœnitentiam agendam nos quotidiè vocet Deus Opt. Maximus, callum tamen obducimus, imò ipsa cura deteriores sumus, & quotidiè deterior est posterior dies. *AEtas parentum peior auis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem.*

Hæc qui vident & audiunt sancti, non possunt iustas eorum animas non excruciare. Debent autem omnes Dei Ministri, tàm politici, quàm ecclesiastici, sibi suisque omnibus inuigilare, & intentissimè cauere. Quanto surdiores sunt homines mundis tanto magis sonores esse oportet homines Dei. Mihi quidem grauiter peccare videntur, qui malis istis diebus, vel phreneticorum more rident, vel supinè stertunt. E contrario, non parùm de Ecclesia & Republica mereri arbitror, qui omnes corporis & animi neruos intendunt, vt malos hominum mores emendent, vitia eorum extinguant, ac ad meliorem mentem reducant.

Ego quidem, ne torpere, sed aliquid agere videar, hæc succisiuis horis composui, & nunc in lucem edo. Tibi autem (honoratissime Domine) hos meos labores, tanquam

perpetuum meæ in te gratitudinis argumentum dico, dedicoque. Tu enim me (Domine) deturbatum erexisti, humi prostratum in pedes statuisti, animum tuum flectente Domino meo, cui seruio, Domino *Iesu* Christo; ei sit laus & gloria in secula seculorum, Amen.

Has igitur lucubrationes meas tibi sisto &, offero; tuæ sunt, Domine honoratissime, tibi destinantur, habe, vtere, fruere. Si tibi placuisse sensero, satis mihi magnum ex illis emolumentum videbor percepisse. Vale, Domine nobilissime, meque fauore tuo decorare perge. Londini ex musæo meo; Iulij 30. 1617.

Honori tuo addictissimus

Thomas Tuke.

INDEX FIDEI: ET RELIGIONIS:

Siue,

DILVCIDATIO PRIMI ET SECVNDI CAPITIS EPISTOLÆ CATHOLICÆ Diui IACOBI, Domini IESV CHRISTI Apostoli ac Consobrini, HYPOCRITARVN MALLEI: qui sine bonis operibus, sordiúmque conscientiam polluentium euitatione fidem & religionem puram ac impollutam esse, & consistere non posse docet.

Auctore THOMA TVKO, Anglo.

Epistola Catholica Iacobi Apostoli.

EPISTOLA. Argumentum Apostolicæ curæ & diligentiæ. Abest corpore: adest spiritu: vbi enim amor, ibi animus. Quosviuâ voce per distantiam loci non potuit, hos calamo per præsentiam charitatis docere voluit. Ingeniosa res est, nec non laboriosa, Christiana charitas. Nullum non mouet lapidem: modis, mediisque variis vtitur, dùm prosit, pergat, perficiat. Scripta sæpe manent, scriptoribus mortuis. *Iacobum* ipsum non habemus: *Iacobi* literas, pietatis, candoris, & zeli plenas, habemus. Has verè Apostolicas, Canonicas, & genuinos *Spiritus* verita-

tis fœtus ac fructus agnoſcimus, & veneramur. *Stramineum* eſt, quidquid contrà dicitur, & igne dignum.

Catholica. Vniuerſalis appellatur, quòd non ſit vni regioni alicui inſcripta, vt epiſtola Sancti *Pauli* ad Eccleſias *Galatiæ*: vel vni ciuitati, vt epiſtola ad *Romanos*: vel vni homini, vt epiſtola ad *Titum*: ſed vniuerſis *Iſraëlitis*, ad fidem Catholicam cõuerſis, per vniuerſum terrarum orbem paſſim diſperſis. Et re certè verâ Catholicam doctrinam continet, Eccleſiæ Catholicæ filiis omnibus omninò vtilem, & hiſce noſtris temporibus optimè congruentem, in quibus (proh dolor!) multi ſunt φιλήδονοι μᾶλλον, ἢ φιλόθεοι, habentes formam pietatis, ſed vim eius abnegantes: qui *Chriſtum* profitentur verbis, ſed factis negant, quum ſint *abominandi*, vt immundi canes & porci; & *rebelles*, vt efferæ nati & præfracti equi & ad omne opus bonum reiectanei.

Iacobi. Fratris ſcilicet, non *Iohannis*, ſed *Iudæ*; Iudam dico, non Proditorem, qui Hebræis *Iſch Kerïot*, Iſcariotes, hoc eſt, vir *Keriot*, dictus eſt, ab vrbe in tribu *Iuda*, vnde ſumpſit originem, vt nonnulli putant; nec *Iudam* illum Galilæum Pſeudoprophetam, ſeditionis authorem, cuius fit mentio Act. quinto; ſed *Lebbæum* cognominatum *Thaddæum*, authorem epiſtolæ, quæ dicitur *Iudæ*, fratris *Iacobi*.

Luc. 6. 16. Act. 15. 25. Matth. 10. 3. Iud. 1.

Apoſtoli. Nomen hoc generale eſt, legatum ſignificans. Specialiter Iacobus dictus eſt Apoſtolus, vt & pauci alij, quibus à Chriſto commiſſum officium præconiandi Euangelium in toto orbe. De quibus ſic ſcribit beatus Martyr Cyprianus: *Hoc erant cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prædti, & honoris, & poteſtatis.* Et, *Nec Petrus, cùm ſecum Paulus de circumciſione poſtmodùm diſceptaret, vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere.* Hæc Cyprian.

Cypr. lib. de Vnit. eccleſ. Epiſt. 71.

ARGVMENTVM EPISTOLAE.

SEriò ac vehementer ſummo cum candore nititur, vt Iudæi Chriſtia-

Christianam professionem Christianis virtutibus & operibus adornent. Peccata aliquot nominatim perstringit. Iudicia Dei tremenda diuitibus improbis denuntiat. Hortatur pios vt crucem tolerent, Deum inuocent, & palabundos ab erroribus suis reuocare studeant. Nam, vt videtur, duplex ei occasio scribendi fuit; bonorum afflictio, malorum hypocrisis.

CAP. I.

2 Adhortatur vt fortiter & iucundè ferant tentationes. 5. vt sapientiam & artem hanc ferendi à Deo postulent cum fide, nihil addubitantes. 13. Vt, cùm labuntur, Deũ iustificent, & semet ipsos accusent. 21. Vt verbum audiant cum lenitate spiritus. 22. Vt faciant, quæ Verbum docet. 26. Ostendit cuius vana est religio. 27. Et quæ Deo sit pura & impolluta.

Vers. 1.

Iacobus, Dei ac Domini Iesu Christi seruus, duodecim Tribubus dispersis salutem.

IACOBUS. Non *Zebedæi* filius, sed *Alphæi*, cuius vxor erat matertera Domini secundum carnem. Vnde hic *Iacobus* à *Paulo* vocatur *frater Domini*, more *Hebræorum*, qui filios fratrum & sororum, aliósque iisdem maioribus ortos, *fratres* appellare solent. Nomen *Iacob* significat *manu* tenentem *calcaneum*: quo nomine bono omine appellabatur hic noster Apostolus, quia ministerio suo obicem posuit Diabolo, conatus eius & cursum sistens ac reprimens, auxiliãte Spiritu per merita Christi. *Minor* etiam vocabatur respectu *Iacobi* Maioris, *Zebedæi* filij, quem *Herodes* occidit: vel propter ætatem, vel quia posterior ad discipulatum vocatus est. *Iusti* autem cognomento decorabatur, à iustitiâ, innocentiâ, & sanctimoniâ, quibus excelluit, vt luna inter stellas, vt cedrus inter arbores. Multi verò nunc malè audiũt, nominibus turpibus & odiosis infamati, propter auaritiam, ebrietatem, perfidiam, otium, superbiam, per- Gal. 1. 19.

iurium, ſacrilegium, fucationem, homicidium, parricidium, regicidium, adulteria, furta, fœnora torquentia, quibus miſerè ſubſeruiunt & addicuntur. Magna copia virorum, magna ſolitudo bonorum: & quotidie deterior eſt poſterior dies.

Dei. Hoc eſt, *Patris*, qui fons & origo eſt perſonarum Filij & Spiritus. Perſonaliter enim ſumitur hîc Deus, non eſſentialiter. Filius Deus eſt, verus, & æternus: at non eſt Deus Pater.

Rom. 9. 5. 1. Ioh. 5. 20.

Ac Domini. Chriſtus dicitur Dominus, & Pater Deus: attamen Pater Dominus eſt, vt & Chriſtus Deus. Pater Deus eſt: Filius autem particeps eſt Deitatis, & verè Deus: ita, Filius Dominus eſt: at Pater poteſtatis & dominationis particeps eſt, & verè Dominus. Filius eſt Dominus Deus, non Dominus Pater: Pater eſt Dominus Deus, non Dominus Filius. Pater eſt Dominus Deus, Filius eſt Dominus Deus, Spiritus eſt Dominus Deus: & tamen non tres Domini Dij: ſed vnus eſt Dominus Deus. *Quia ſicut ſingulatim vnamquanque perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtianâ veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholicâ religione prohibemur.* Si ſequeretur Chriſtum non eſſe Deum, quia hîc non expreſſè dicitur Deus, ſequeretur etiam Patrem non eſſe Dominum, qui non vocatur Dominus. Si Chriſtus non eſt Deus, quia Pater ſolus hîc Deus appellatur, pari ratione Pater non erit Dominus, quia Chriſtus hîc duntaxat Dominus nuncupatur. Verùm enimverò Pater Dominus eſt, quia Deus: & Chriſtus Deus eſt, quia Dominus, per quem mundus factus eſt, & redemptus, cui etiam omnia ſubiiciuntur, tanquam ſupremo omnium Gubernatori.

Athan. Symbol.

Chriſtus Dominus eſt, vt καθ' ὑπερογὴν: ratione Deitatis, vel vt Deus, naturâ, non gratiâ, reſpectu verò Humanitatis, vel vt eſt homo, non naturâ, ſed gratiâ; gratiâ inquam, non adoptionis, ſed *vnionis hypoſtaticæ*, quâ factâ, meritò ei debebantur omnes honores, omnis poteſtas, omnis gloria. Nunc merendi, & promerendi abundantiſſimè, infinities, veriſſimâ necnon pleniſſimâ fa-

mâ facultate hic homo eſt ornatus. Ei ſit laus, & honor, in ſecula ſeculorum, Amen.

Duæ ſunt naturę Chriſti, aſt vnus Dominus, vna poteſtas, vna perſona. Aut vuus eſt, aut Dominus non eſt. Vt autem unus eſt Dominus, ita vna eſt lex; *vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma*, inquit Apoſtolus. *Etiamſi ſint Dij multi, & Domini multi: nobis tamen vnus eſt Deus Pater, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Eph. 4.5. 1. Cor. 8.5.6.

Dominus eſt Dominorum, & Rex Regum, Imperator ſummus cæli, terræ, & inferni, totius mundi rector & poſſeſſor. Hunc omnes propediem cognoſcent & confitebuntur, vel *cantando*, vt Sancti & Angeli, vel *vlulando*, vt diaboli & reprobi. Glorificabit enim ſeipſum certò, ac citò, vel per glorioſam confeſſionem ſuorum, vel per confuſionem & contuſionem hoſtiũ. *Venio* (inquit) *citò*: veni igitur Domine *Ieſu*. Veni, vide, vince, libera, in æternum dominare. Apoc. 22.20.

Terreni Domini terra ſunt, puluis ſunt, vmbra ſunt, & mera ſomnia. Montes ſint, & magni, ſed terra ſunt. Terra ſunt, & in terram conuertentur. At hic Dominus cœleſtis mortẽ ſuperauit, atque adeò in ſuo ipſius antro ſpoliauit. Viuit, & in æternum victurus.

Illi vi ſæpe premuntur, dolis circumueniuntur, regnis & territoriis ſuis priuantur. Qui Dominus eſt hodie, cras fortè ſeruus erit. Eorum eſt, quod dicitur, *Regnabo, Regno, Regnaui, Sum ſine regno*. Rerum omnium terrenarum eſt viciſſitudo. Regnabit verò hic in æternum, nec arte, nec marte ſuperandus. Eſt enim ipſa *Sapientia*, ipſa *Vita*, ipſa *Virtus*. Potentiæ eius & prudentię, virium & virtutum, finis nullus eſt, ceſſatio nulla. Beati, ter beati ſunt, qui huic ſincerè ſeruiũt & obſequuntur. Contrà miſeri ſunt, mancipia vilia ſunt, qui rebelles ſunt, & inſolentes. *Meos illos inimicos* (inquit) *qui noluerunt me regnare ſupra ſe, adducite, & iugulate coram me.* Luc. 19.27. *Confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Pſal. 68.22

Ieſu. Nomen Ieſu, quàm charum, quàm vtile, & ſalu-

bre: *Ieſus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde*, vt recte ait Bernardus. *Ieſus vocatur vero nomine, à ſalutari medicinâ habens appellationem. Vnicuique autem fit varius Saluator ad vtilitatem*, vt ſcribit Cyrillus. *Qui enim indigent recreatione & lætitiâ, illis fit vinea. Qui opus habent, vt ingrediantur, illis fit oſtium: & qui cuperent offerre orationes, illis fit Mediator, ſummuſque Sacerdos. Rurſus, habentibus peccata fit Ouis, vt pro ipſis macte tur.* Deus Pater hoc nomen ei dedit per Angelum ſuum, *Vocabo nomen eius IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Deus (inquam) dedit, & dedit gratis. Accepit vt homo, quod habebat vt Deus. Eſt hoc nomen *Ieſu* nomen gratioſum & glorioſum, maieſtatis & miſericordiæ, magnificentiæ & munificentiæ, potentiæ & pietatis plenum. Nobis eſt nomen ſuper omne nomen, ſupremum, optimum, gratiſſimum. Optimè autem Domino *Ieſu* congruit, & quidem vnicè. Quia *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Sine hoc nomine nomen Dei eſt terroris plenum: ſine *Ieſu* Deus ignis eſt conſumens, & hoſtis formidandus: in *Ieſu* verò gratiam & pacem offert. *Nos reconciliauit ſibi per Chriſtum*: quem ἀναμάρτητον pro nobis ἁμαρτίαν fecit, *vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.*

Cyril. Hier. Catech. 10.

Matth. 1. 21.

Act. 4. 12.

2. Cor. 5. 18. 21.

Alios legimus hoc nomine vocatos: verùm illi meri erant homines, & ab hominibus nomen ſuum acceperunt: peccatores erant, fumus erant, mortui ſunt, & in terram tranſmutantur. Crediderunt illi in hunc *Ieſum*, & ſalutem ſuam in eo ſunt conſecuti. Hic magiſter eſt ſalutis, illi miniſtri: hic Dominus, illi ſerui: hic propriis viribus & meritis ſalutat & liberat: non ſic illi. Homines poſſunt pugnare: ſed victoria eſt à Deo. Laborare poſſunt, precari poſſunt, arma geſtare & tractare poſſunt: ſed ſalus eſt à Domino. *Ego* (inquit Paulus, eximium ſalutis organon) *plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit.*

Pſal. 3. 8. 1. Cor. 3. 6.

Multi ſunt (quorum etiam numerus quotidie augetur) qui bonis ſuis nominibus malè, peſſimè, reſpondent. Vocatur hic *Pius*, cùm ſit impius: ille *Clemens* appella-

pellatur,sed durus & crudelis sentitur. Videbis *Richardum* sordidum,*Pheben* impuram,*Leonem* leporem,*Timotheum* Deum honore suo priuãtem,*Tobiam* malum Dominum,*Rachelem* lupam,*Alexandrum* immisericordem, nulli succurrẽtem. Multi sunt,qui *Christiani*,*Catholici*,& *Sinceri*,vocari & haberi volunt,qui nihilominus Antichristiani,Hæretici,& Hypocritę planè sunt,& deprehenduntur. Nomen Iesu assumpserunt sibi Ignatij sectatores:si verò dogmata & praxin eorum consideres, indignos eos hoc tam salutari nomine iudicares. De quorum consortio non nemo bellè & verè dixit, *Non cum Iesũ itis, qui itis cum Iesuitis.* Dominus Eduard. Coccus.

At Dominus Iesus rem nominis impleuit,implet,& in æternum implebit. Ille vita est nostra,& salus sempiterna. *Omnia habemus in Christo, & omnia in nobis Christus. Si à vulnere curari desideras, medicus est: si grauaris iniquitate,iustitia est:si indiges auxilio,virtus est:si mortem times, vita est: si tenebras fugis,lux est: si cælum desideras, via est: si cibum quæris, alimentum est.* Ambros. Dominus Iesus nobis pabulum est,& pastor:panis est,& potus:medicamentum & alimentum: medicus,& remedium: nutrimentum,& nutritor:hospes,& conuiuium: τροφὴ, καὶ τρυφή. Et quod memoriâ dignum; Ab amico, qui tibi opem tulit, vel salutem tempestiuè attulit,inuitè potes separari:at nemo tibi Dominum Iesum potest auferre,nisi te illi auferas. Tibi adest, tibi inest, tibi præest, tibi prodest. Quæras eum,& non amittes. Ne tu illum deseras, ne repellas,& saluus eris, te nunquam deseret, nunquam eiiciet. Domine Iesu,vnias me tibi,quæso:adhærescat tibi cor meum,oro. Sim tuus,esto meus. Indignus est vitâ,qui tibi, Iesu, recusat viuere: dignus est odio,qui te non amat: dignus planè est contemptu,qui te contemnit. Qui tibi non viuit,moritur: *qui tibi non sapit,desipit: & qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Propter te ipsum, Deus fecisti omnia, & qui esse vult sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia.* Bernard.

Christi. Christus vocatur (hoc est, Messias, vnctus) à χρίομαι vngor. Vnxit enim eum Deus oleo lætitiæ, o- Psal. 45.

leo Spiritus, præ consortibus suis. *Non humanis manibus unctus* est, *sed à Patre perpetuò in eam, quæ super homines, sacerdotij dignitatem inunctus*, vt ait Cyrillus. Vnctus est & Rex, & Sacerdos. Is nobis solus est Rex & Sacerdos. Sacrificium eius cupiunt multi, sed regnum fugiunt, leges contemnunt. Volunt Christum Sacrificum, nolunt Regem. Seruari volunt, seruire nolũt. Merita suauia, mandata grauia. Vnde hæc dementia, nisi à Satanâ, mundo, & carne, quæ nos fallunt, fascinant & inebriant? Domine *Iesu*, libera nos à malo, dirige nos Spiritu tuo: errauimus sicut oues, quę pereunt: quęras nos, ac tuearis. Sed pergamus.

Cyr. Hieros. Catech. 10.

Nomen hoc (Christus) est commune, non proprium, & Domino per eminentiam tribuitur. Multi Christi sunt, multi, qui dicuntur vncti: sed vnus est *Christus Iesus*, vnus vnctus Saluator. *Iesum* dicimus vngi, non *deitatem* Iesu. Deus enim non potest vngi: Diuina natura perfundi non potest oleo. Deus vnctor est, non vnctus. Agit, non patitur. Omnia dat, nihil recipit. Nomen igitur *Iesu*, quod Dei est, præstantius est nomine Christi. Et reuerâ Christus vngitur, vt nobis esset *Iesus*, hoc est, vt nos saluos faceret. Finis autem est præstantior medio: nomen salutis omnia omnium pharmacorum nomina longè superat, ac antecellit.

Seruus. Creatura seruit Creatori, vt vas figulo: Christianus seruit Christo, vt membrum capiti: Minister Ecclesiæ seruit Domino, sicut Legatus, siue nuntius, ei, qui eum misit, & potestate instruxit. *Iacobus* est Dei & Christi Minister, nuntius, Apostolus, proinde seruus. Homo est, Christianus est: creatura est, creatura noua est. Opus Dei est, & Domini Iesu Christi: opus Dei conditus in Christo Iesu ad opera bona; hoc est, homo est, & homo nouus, filius Adam, & membrum Christi: seruus igitur. Apostolus, vti modò dixi, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, ac Deum Patrem, atque Spiritum Sanctum, qui eum constituit Episcopum, ad pascendam Ecclesiam Dei, eorum igitur est seruus, & instrumentum viuum.

Ioh. 10. 11.

Act. 10. 28.

O Ia-

O Iacobe, ô homo, ô Christiane, ô Minister, memento cuius es seruus. Seruus es Dei, nõ diaboli: Christi, non Anti-christi: Trinitatis, non temporis: Deum cole, diabolum fuge, Christum sequere, Anti-christum persequere, Trinitatem indiuiduam indiuiso corde dilige, venerare: inseruiat tibi tempus, ne tu illi subseruias: prosit tibi, ne præsit tibi: occasionẽ redimas, quia dies mali sunt.

Homo es, seruito Domino, vt homo, ratione tuâ, iudicio tuo, beneuolentiâ tuâ: ne seruias, sicut animal brutum, rationis expers & appetitus sequax. In hoc seruis Deo, in quantum es homo, cùm ea facis, quæ non potes facere, nisi homo.

Christianus es, vnctus es, vnctus oleo lætitiæ, instructus donis Spiritus. Seruito Christo, non Antichristo: Christo, vt Christianus, non Mundo, vt mũdanus: Spiritui, vt Spiritualis, non carni, vt carnalis. Seruias, inquam, vt Christianus, non vt Paganus, seu infidelis. In hoc seruis Christo, inquantum es Christianus, cùm ea facis, quę non potes facere, nisi Christianus. Vnctus es, vt sis spiritualis rex, sacerdos & propheta. Rex es? Rege teipsum, vitia tua reprime, prosterne. Sacerdos es? Es; Sacerdos es, & sacrificium: offer, siste te Deo hostiam viuam, sanctam, acceptam per Iesum Christum. Propheta es: Disce à Deo: *ab ipso audias, ipsíque Deo credas, quod verum velis scire de Deo.* Cui magis de Deo, quàm Deo credes? Scripturas scrutate, librum illum salutarem lege, perlege. Quod inde discis, dic, prædica vxori, filio, seruo. Dominum tuum prædica, canta, confitere. Iubilato Christo: si nunc non iubilabis, mox vlulabis. O Christiane, seruus Iesu es, non dominus: non potes seruire Christo & ventri: non potes obsequi Deo & mundo: non potes simul Deum colere, & idola cordis tui. *Qui sic suscipiunt testamentum Dei, vt veteri vanitate non se exuant, similes sunt hostibus populi eius* (vt ait Augustinus) *qui captiuatam Arcam testamenti iuxta sua idola posuerunt.* Minister es, Angelus Domini, præcõ fidei, mysteriorum Dei dispensator.

Oros. hist. l. 6. c. 2.

Aug. in Psal. 77.

1. Sam. 5.

O Iacobe, ô Episcope, ô Ecclesiæ Minister, memento te seruum esse, non dominum: seruum Christi, non Anti-christi: seruum Dei, non hominum. Verbi es Minister, hoc age, in hoc seruis Domino, in quantum es Minister, cùm ea facis, quæ non potes facere, nisi Minister. Seruus Dei es: non potes Deo seruire, & Mammonæ qui cómoda sua solùm respicit, se pascit, non oues, inseruit mundo, non Ecclesiæ. Matth. 6. 24.

Seruus Christi es, non ventris, non hominis: pareas Christo, ne indulgeas genio, ne obtemperes gulæ. Studeas placere Christo, ne sis vilis ἀνθρωπάρεσκος. Christum quære, non teipsum: Christum prædica, non teipsum. Humana, an diuina suadeo, inquit Paulus? Aut quæro hominibus placere? Enimuerò si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Gal. 1. 10.

Audi Iacobe, audi Minister, audi Episcope: te totum Christo debes, quâ homo es, quâ Christianus es, quâ Episcopus es. Te totum Christo si non persoluis, te totum tute perdis. Ecce autẽ sanum Apostoli iudicium: scribit se seruum Christi, nõ fratrẽ aut consanguineũ. Postposuit enim cognationẽ carnis seruitio Spiritus, sanguinem maiorum, fidei Dei omnipotentis, & obsequio Christi. En nobile seruitutis genus, seruire Christo. Huic seruire est dominari, huic subesse est præesse, huic cedere est superare, hunc sequi est præire, & vniuersam mundanorum cateruam procul à tergo relinquere. Liber tus est, non mancipium: Rex est, non seruus, qui Deo & Domino Iesu Christo, ex animo sincerè seruit, & mandatis suis atque ministerio serio delectatur. Nihil omninò prodest carnalis Christi consanguinitas, aut necessitudo, nî sit etiam spiritualis vnio & communio. Dominus es, & potentissimus. Esto. Sed tibi ipsi seruis, non Domino: stultum habes pro magistro, idolum detestabile pro Domino Deo Quid dixi? Tibi seruis? Maximè. Vitiis tuis seruis, indulges ventri. Heus tu Domine, Domine potentissime! Seruus es, mancipium es, hominum opprobrium es, telluris inutile pondus es: idolũ colis obesum & ventricosum: tot

habes

habes dominos, quot vitia. Redeas igitur DOMINE, redeas ad DOMINUM IESUM, redeas ad teipsum. Reddas te DOMINO, reddas te tibi: & eris DOMINUS, dominus potentissimus, dominus porrò pientissimus. Potentia tua nihil est, potestas nihil, diuitię nihil, honores nihil, nî Christi sis, nî DEO seruias, nî pius sis, & pietatem colas. *Gloriosa in Deum pietas honoribus regijs immobile est fundamentum*, vt ait Cyrillus. Sola salus seruire DEO, sunt cætera fumus.

Vidimus iam personam literas hasce scribentem: videamus nunc, quibus destinantur: duodecim scilicet tribubus dispersis. *Tribubus, duodecim* tribubus, duodecim tribubus *dispersis*.

Per duodecim tribus intelligit duodecim familias Patriarcharum, nimirum omnes ex eisdem tribubus ad Christum conuersos. His omnibus indifferenter scribit, vtpote sibi in Christo plurimùm dilectis absque respectu personarum.

Omnes has tribus Israeliticas dispersas & disseminatas ait. DISPERSIO hæc facta est partim ex captiuitate Babylonicâ, partim propter varias afflictiones & persecutiones, quibus DEUS hunc populum castigauit & afflixit.

Talis sæpe est conditio ac sors piorum. Mundus enim est eis iniusta & crudelis nouerca. DEUS verò suos dispergit, vt congreget: humiliat, vt exaltet: spoliat, vt ditet: in exilium mittit, vt in cęlestem patriam admittat. *Via est vita præsens, quâ ad patriam tendimus: & idcirco occulto Dei iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patriâ diligamus.* Greg. Moral. l. 23. c. 18.

Legimus, videmus dispersiones Iudæorum: pœnitentiâ naturâ iudicia DEI à nobis auertamus, ne & nos quidem ipsi sicut oues dispergamur. Peccata vbique disperguntur: caueant etiam peccatores, ne ipsis quoque exultent & dispergantur. DEUS enim iustus est iudex, ingratitudinis, & iniquitatis omnis, osor & vltor. Tardus est ad iram, aduentum differt, sed tarditatem suam grauitate pœnæ compensare solet. *Intelligite hæc,* Psal. 50. 23.

qui obliuiscimini Deum: nequando rapiat, & non sit, qui eripiat.

Dispersis istis Israëlitis salutem exoptat, salutem (puto) omnimodam, corporalem, & spiritualem, externam, internam, æternam. Quæcunque enim sancti Apostoli, Paulus ac Petrus, per χάρην & εἰρήνην intellexerunt, eadem omnia beatum Iacobum nostrum per suum χαίρειν intellexisse & exoptasse arbitror. Dispersas has oues curat hic fidelis Pastor: morbis eorum, malis scilicet moribus, mederi studet: ac, ne bonam fidem malâ vitâ contaminarent, ac falsâ specie religionis se deciperent, proinde sedulò dat operam, vt virtutibus & operibus verè Christianis floreant, & ornentur. Hæc de Inscriptione.

Vers. 2.

Pro summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis.

ORationem orditur hortatû consolandis dispersis & afflictis accommodato. *Fratres* eos appellat, quia & *Israëlitæ*, & *Christiani*, Abrahami scilicet filij secundùm fidem & carnem.

En Christiane bone, en Christiane Minister, & Episcope: quia Christianus es, ideò Christianis frater es. Christianus Christiano similior est, propior est, quàm vel homo homini, vel frater fratri. Omnes enim orthodoxi, & pij Christiani, participes & *cohæredes* Christi sunt, *diuinæ naturæ* consortes sunt, Spiritus sancti domicilia & *Templa* sunt. Eiusdem naturæ diuinæ sunt consortes: *vnus & idem* Iesus Christus in omnibus eorum *cordibus habitat*. Vnus & idem Spiritus Iesu singulis & omnibus adest, inest. *Siquis enim Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, vt docet Paulus. Fratres verò secundùm carnem (nempe vt sunt carnales) vnâ & eâdem animâ non animantur, vno & eodem spiritu non aguntur, vno & eodem capite non fruuntur.

Rom.8.17. 2.Pet.1.4. 1.Cor.3.&6. 19. Eph.3.17. Rom.8.9.

tur.Parentis alia eſt anima,fœtus alia. Quot homines, tot capita.Singuli ſingulas habent animas. Suus cuique Spiritus eſt,quo ducitur,& mouetur. At Chriſtiani omnes ſinceri vnum duntaxat Caput habent, cui ſubſunt & vniuntur. Vno Dei Spiritu vniuerſi aguntur. Vno Chriſto (ipſius animæ animâ, & ſpiritus ſpiritu,) qui omnes viuificat & conſolatur, animantur omnes & intus ornantur.

O beati Chriſtiani, conſanguinei eſtis, ex carne Chriſti eſtis,& ex oſſibus eius, Eccleſia Catholica vobis mater eſt, filij Dei eſtis, Domini Ieſu fratres eſtis: eodem animo ſitis inter vos mutuò affecti: fraternâ charitate alij ad alios amandos propenſi eſtote: alij alios per charitatem tolerate, ſtudentes ſeruare vnitatem Spiritus per vinculum pacis: pietati veſtræ φιλαδελφίαν adiicitote, & pacem alij cum aliis habetote. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſeculum.* Annon fratres eſtis? *Nunquid non pater vnus omnium noſtrûm,* inquit Propheta? *Nunquid non Deus vnus creauit nos*, & regenuit? Fratres ſumus omnes in Chriſto,quotquot in Chriſtum credimus,ſiue diuites, ſiue pauperes:fidelitatem igitur,miſericordiam, charitatem,& concordiam, in nobis habeamus & foueamus. Voluntates noſtras ordinemus, affectus prauos compeſcamus. Nunquam poteſt pacis integritas cuſtodiri, vbi voluntatum diuerſitas inuenitur. Fratres ſumus,quotquot veri Chriſtiani ſumus:fraternitatem colimus,concordiam exoptamus,

Nulla ſalus bello pacem te poſcimus omnes, omnes, omnes.

Eph.5. Gal.2. Rom.12. Eph.4. 2.Pet.1.7. Marc.9.50. Pſ.133.1.4. Mal.2.10.

Nomine *Fratris* indignus eſt habendus, qui cum fratribus pacem non ſectatur, quinetiam factiones alit,& diſcordiam ſerit.Quid illi autem prodeſt vocari, quod non eſt,& nomen vſurpare alienum? Si fidelem, ſi fratrem ſe vocari delectat, quæ fidelis, quæ fratris, quæ fraternitatis ſunt,meditetur & agat,& meritò ſibi nomen fidelis,ſeu fratris,aſſumat. Audiamus cõſilium

illud ſalubertimum, quod Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Spalatenſis fratribus ſuis Romanis iamdudum dedit. *Sentiamus & nos* (inquit) *inter nos diuerſa, quouſque plenè definiantur, quæ plenè nondum ſunt definita: ſed interim tamen in vnitate maneamus. Nolite maiora quàm ſunt, ſchiſmata efficere. Pacem & charitatem omnibus Chriſti Eccleſiis, per eſſentialia fidei ſymbola Chriſtum profitentibus, reſtituite. Longè grauius in Eccleſiâ malum eſſe ſchiſma, quàm hæreſin, pro certo habetote.* Erubeſcant omnes *fratris* Chriſtiani nomen vſurpare, qui fraternitatem Chriſtianam odioſis ſuis contentionibus, & diſſidiis, non ceſſant dilacerare.

Marc. Ant. Arch. Spal. in lib. quo profect. concil. exponit: Loudini edit. An. 1616.

Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε. Omne gaudium, id eſt, perfectũ, plenum gaudium exiſtimate: hoc eſt, quemadmodum D. Theodorus Beza vertit, Pro ſummo gaudio ducite.

Quum in tentationes varias incideritis. Id eſt, cùm, vel quoties vos Dominus aduerſis multis ac variis probârit & caſtigauerit.

Hinc multa diſcimus, & perutilia. 1. Res aduerſas, puta exilium, perſecutiones, inopiam, ignominiam, contumelias & tentationes eſſe à Deo miſſas, quibus nos probat, examinat, & explorat. 2. Eccleſiæ filios fideles, Chriſti-colas veros, aduerſis hîc ſubiectos eſſe. *Oportet* (vt præmonuit Apoſtolus) *per multas afflictiones ingredi in regnum Dei.* Nam quem diligit Dominus, caſtigat. *Ego, quos amo, arguo & caſtigo,* inquit. Afflictionibus Deus pios corripit vt domeſticos, & filios: impios & inimicos flagellat & punit, vt alienos & mancipia. 3. Varias eſſe tentationes piorũ, & haud vnius tantùm eſſe generis. Multis enim & variis morbis ſpiritualibus laboramus, ac proinde multis ac variis tribulationibus Deus nos exercet. Quia morbi diuerſi diuerſis remediis ſunt ſanandi.

Act. 14. 22.

Apoc. 3.

3. Cor. 11. 24. 27. & 6. 4.

1. Cor. 4. 11.

Nam quoniam variant morbi, variabimus artes:
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

Et quoniam in nobis quotidie pullulant carnis vitia, illas igitur ſubinde infligi non eſt inutile. Cupiditates

tates carnis ſunt vermes quidam noxij in intimis viſceribus cordis, quos Deus aduerſis, tãquam abſynthio & aloë, auxiliante Spiritu, torquet & extinguit.

Et quia magna & multiplicia ſunt gaudia, ac bona, quibus pij in futurâ vitâ fruentur, mirũ non eſt, ſi multis & variis afflictionibus Deus eos hîc exerceat, eruditat & exploret. 4. Non ſolùm non frangi tentationibus, ſed quoties in eas inciderimus, lætari etiam & exultare nos oportere. Sic enim Dominus in quodam caſu diſertis verbis præcipit. *Beati* (inquit) *eritis, quum vos conuitijs affecerint, & perſequuti fuerint & mentientes dixerint quiduis mali aduerſus vos, propter me. Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra multa eſt in cælis.* Matth. 5. 11. 1. Pet. 4. 13. *Neque* (inquit Apoſtolus) *fatigeris* (vel remiſſus eſto) *dum ab eo argueris:* Heb. 12. 5. hoc eſt, ne deſpondeas animum, ne frangaris, ſed fortiter ac alacriter crucem humeris tuis diuinitùs impoſitam ſuſtineas. Neque deſunt nobis argumenta bona, quibus hebetudo noſtra ac mollities excutiatur.

1. Quoniam merces noſtra copioſa erit in cœlis, vt promiſit & prædixit Chriſtus Matth. quinto. *Momentanea* (inquit Ap.) *leuitas afflictionis noſtræ excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis.* 2. Cor. 4. 17. Vbi perpendamus antitheſin. *Gloriam* opponit *afflictioni*: coronæ *pondus*, *leuitati* crucis: *æternitatem* glorię *breuitati* paſſionum. Meritò igitur alicubi ait, *Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. 18.

2. Apoſtolos, Martyres, & alios ſanctos viros duces habemus, quos ſequi par eſt. *Apoſtoli gaudentes ibant à conſpectu concilij, quoniam digni habiti fuiſſent pro nomine IESV contumeliam pati.* Act. 5. 42. Vt dolentes (inquit Paulus) *ſemper tamen gaudentes. Semper* ait, ergo in aduerſis. *Libentiſſimè* (inquit) *gloriabor potiùs de infirmitatibus meis. Oblector in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſequutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. Libentiſſimè ſumptus impendã, & expendar pro animabus veſtris. Quinetiam ſi pro libamento offerar ſuper hoſtiâ, ſacrificióque fidei veſtræ, gaudeo & gratulor omnibus vobis.* 2. Cor. 6. 10. Rom. 5. 3. 2. Cor. 7. 4. 2. Cor. 12. 9. 10. 15. Phil. 2. 17. 18.

3. Adeſt Dominus ſuis,cùm affliguntur, necrelinquit. *Quum infirmus ſum,tunc potens ſum*, inquit Apoſtolus. *Etiamſi externus homo noſter corrumpitur,internus tamen renouatur indies. In omnibus fuimus afflicti:foris fuerunt pugnæ,intus terrores. Sed qui conſolatur abiectos, conſolatus eſt nos Deus. Perſequutionem patimur: ſed in eâ non deſerimur: deijcimur,at non perimus.*

2.Cor.12.10. 2.Cor.4.16. 2.Cor.7.6.& 4.9.

At dices, Afflictiones meæ non ſunt pro Chriſto: Regem habemus orthodoxum & iuſtum, qui non facit Martyres,neque vllos,niſi nebulones,& maleficos perſequitur ac plectit.

Eſto:ac bono ſis animo.Pro Chriſto non pateris,tamen in te Chriſtus patitur, vt caput in membro ſuo: nutu Numinis pateris,licèt nõ malitiâ hominis. *Quos autem Deus hîc premit in infimis, illîc remunerat in ſummis, Quos hîc vſque ad deſpecta deijcit, illîc ad incomprehenſibilia perducit.* Affligit te Dominus,vt te emendet,& erudiat. *Bonum mihi fuit affligi,vt diſcerem ſtatuta tua.* Adhoc autem emendat,vt ſeruet. *Quum caſtigamur à Domino erudimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Aduerſis te Deus purgat,vt aurum igne purgatur. Non delectatur pœnis tuis,ſed confeſſionem quærit erroris. Non vult tibi nocere, ſed docere : non perdere , ſed ædificare. Deiicit te Deus,vt erigat:humiliat, vt exaltet : Paupertate premit,vt diuitem faciat. Aduerſis te tum aliis,tum tibiipſi probat & manifeſtat. Iſtis te docet,non in te,ſed in ſe ſperare,& fiduciam totam collocare, necnon cor tuum coram eo effundere,& opem implorare. *Ad medicam dubius confugit æger opẽ.* Humiliatus currit ad eum, qui poteſt erigere. Sicut autem ignis flatu premitur,vt creſcat: ſic dum aduerſis affligeris & cruciaris, augentur tibi & multiplicantur deſideria cordis. Atque vt ferendo diſcis ferre,ita etiam aliis opem ferre ; *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.* His denique mediis Deus in te auget deſiderium cœleſtis patriæ. *Crebris tribulationibus Eccleſiam ſuam Dominus exercet: ne ſi cuncta temporalia fortè proſperè currant, incolatũ præſentis exilij delectata,minùs cæleſtem patriam ſuſpiret.*

Matth.25.

Greg. Mag. Moral.lib.3.

Pſal.119.

Cypr. l.3. epiſt.4.

1.Cor.11.

Ouid 4.Põt.

Bed.in Cãt.

Age

Age igitur bone Christiane, te vincito, crucem iucundè ferto: mala suauiter, alacriter, tolerato: remissas manus & soluta genua erigito. Malum pati, malum nõ est: malum non pati, malum est. Supremus patientiæ gradus est afflictiones animo lætabundo perferre. Vt prosis amico tuo, multa aduersa ferre non recusas, sed libẽtissimè pericula adis, subis: lętanter igitur calamitates omnes propter Christum, ac vt regnum cœlorũ lucreris, perfer ac superato. Propone tibi illud Apostoli, *Vehementer* (inquit) *exundo gaudio in omni afflictione nostrâ*. Et, *Gloriamur etiam de afflictionibus*. 2. Co. 7. 4. Rom. 5. 4.

5. Gaudere nos oportet non solùm, dum in vnam duntaxat tentationem incidimus, sed in plures: neque vnius tantùm generis, sed multiplices, ac varias. Nam Deus medicus est, & tribulatio medicamentum est ad salutem, non pœna ad damnationem. Amarum est, sed vtile est: & quia vtile, ideò lætanter deglutiendum. *Carmen in nocte est lætitia in tribulatione*, inquit S. Gregorius. Serui sumus, non Domini, ferre igitur debemus, ac libenter perferre, quicquid nobis Dominus imponit. *Fornax mundus, aurum iusti, ignis tribulatio: artifex Deus. Quod vult ergo artifex, facio: vbi ponit me artifex, tolero. Iubeor ego tolerare, nouit ille purgare. Ardeat licèt palea ad incendendum me, & ad consumendum me: illa quasi in cinerem vertitur, vt ego sordibus caream.* Aug. in Psal. 160. Ex quouis malo vtilitatem capias, ni tibi ipse desis: vt verè possis dicere, malum esse sine malo esse, afflictionem esse sine afflictione viuere. In præsens quidem nulla afflictio videtur esse gaudij, sed tristitiæ: *at postea fructum tranquillum iustitiæ reddit ijs, qui per eam fuerint exercitati.* Heb. 12. 11. Aduersa igitur qualiacunque lætis animis excipiamus, non quia nocumenta, sed quia documenta: non quia aduersa, vel propter se simpliciter, sed quia bona & vtilia, vel propter fructus, qui concomitantur. Afflicti terrena perdimus, sed afflictiones lætanter perferentes cœlestia multiplicamus. *Mala Lazari purgauit ignis inopia, & bona diuitis remunerauit fœlicitas transeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit, & torsit: istum abundantia remunerauit & re-*

pulit, vt scripsit Beatus Greg.

6. Si variis afflictionibus Deus suos exerceat, si quos amat, cruciare soleat, supplicia proculdubiò tremenda manent eos, quos reprobat & contemnit. *Cùm* (inquit Greg.) *recognosco Iob in sterquilinio, Ioannem esurientem in eremo, Petrum extensum in patibulo, Iacobum decollatum ab Herodis gladio, cogito qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat: quia ita durè affligit, quos amat. Tempus est* (inquit Sanctus Petrus) *vt incipiat iudicium à domo Dei. Quod si primùm incipiat à nobis, quis erit finis eorum qui non parent Dei Euangelio? Et si iustus vix seruatur, impius & peccator vbi comparebit?* 1.Pet.4.17. 18.

7. Non dicit Apostolus, *Gaudete*, sed *omne gaudium existimate*. Non vult nos lætari temerè, leuiter, pueriliter, ridiculè & inconsultè: sed cum iudicio, prudenter, consultò, intelligenter, & viriliter, quemadmodum docet & dictat ratio sanctificata, & iudicium rectè informatum. Quum autem iubet existimare *omne gaudium*, perinde est (vt Beati Caluini verbis vtar) ac si diceret, ita in lucro deputandas esse, vt nonnisi gaudendi sit materia. Denique nihil esse in afflictionibus significat, quod gaudium nostrum obturbet. Erudiunt ignorantes, inhibent peccantes, iuuant currentes, excitant torpentes, confirmant languentes, humiliant superbientes, purgant pœnitentes, promouent credentes, probant sperantes, & coronant innocentes. Quidni igitur, quum in eas inciderimus, omne gaudium (vt monet Apost.) existimemus? Caro nos dolere & angi impellit: sed carni non est succumbendum. Carnem & sanguinem fide, spe, charitate, ieiuniis, precibus vincamus. In mediâ tristitiâ non desinamus lætari.

Denique quum *inciderit*is inquit Apostolus. Nam dolere nos oportet, & pœnitentiâ affici, si vel temerè nosmet ipsos in ignem proiiceremus, & in pericula, tanquam equi indomiti, rueremus: vel si mala nobis contraxerimus & sustinuerimus, vt impij, & malefici. Nemo (igitur) nostrûm (vt suadet S. Petrus) *malo afficiatur*, 1.Pet.4.15.

tur, vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector.

Vers. 3.

Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.

Probatio. Τὸ δοκίμιον, exploratio, hoc est, illud, quo probatur, seu exploratur fides vestra, nempe multiplex illa tentatio, siue afflictio. Non autem Deus explorat, quasi nostri ignarus: sed vt nos in nostrûm ipsorum agnitionem inducamur, ait Gualtherus.

Fidei. Fides à fio. *Fac, quod dicis*, inquit D. Augustinus, *& fides est.* Fides præterea significat vel donum fidei, vel obiectum fidei. Fides est, vel quâ creditur, vel quod creditur. *Fidei vestræ*, quâ scilicet vos creditis Deum vnum & trinum, Deo vni & trino, in Deum vnum & trinum, vel in trin-vnum Deum, nempe Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, & quæcunque Deus vobis per Scripturas reuelauit. *Est autem fides illud, quo extant, quæ sperantur, & quæ demonstrat, quæ non videntur.* Vel illud, quo Christum recipimus, eúmque cum suis meritis nobis ipsis applicamus. Fides hæc, imò & fidelitas omnis ac constantia rebus aduersis probatur ac discernitur. Hæc est natura fidei; quátò magis premitur, tantò magis accenditur. *Virtus fidei* (inquit Sanctus Chrysost.) *in periculis secura est, in securitate periclitatur.* Fidelis verus, vt & amicus certus, in re incertâ cernitur, in aduersis manifestatur. Stellę in nocte lucent, in die latét: sic vera fides in aduersis eminet. Vasa figuli probat fornax, & homines fideles tentatio tribulationis. Et sicut sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: & sub eâdem tribulâ stipulæ comminuuntur, & frumenta purgantur: ita (inquit S. Augustinus) *Vna tribulatio bonos probat, purgat, & eligit: malos reprobat, exterminat, & annihilat.* Fides vera est pretiosum aroma: & sicut aromata fragrantiam suam, quum incenduntur, seu cõtunduntur, emittunt: ita fides in tribulationibus innotescit. Heb. 11. 1. Ioh. 11. 8.

Carnis igitur affectus compescamus, in aduersis gaudeamus. Nequaquam retributionis gaudium de æternitate beatâ colligitur, quod non hîc priùs afflictione lætanter seminatur. O afflicte! Cur dolore te enecas? Cur affligis animam tuam? Quid ita es sollicitus? Quid fremis? Scito te non aduersis perdi, sed probari. Non te Deus affligit, vt occidat, sed vt seruet: non, vt perdat animam tuam, sed vt probet fidem tuam. Quisquis aduersitate frangitur, prosperitate corrumpitur. Nam

Greg. Mag. *nulla aduersitas deiecit, quem prosperitas nulla corrumpit. Qui enim veritati inhæret, vanitati nullo modo succumbit.*

Patientiam operatur. Id est, Afflictiones, quibus exploratur & illustratur fides nostra, quâ Deo adhæremus, & potentiam eius, præsentiam, misericordiam, veracitatem, & salutem ac redemptionem agnoscimus, credimus & expectamus, tolerantiam efficiunt: hoc est, efficiunt, vt fortiter ac patienter aduersa perferamus. Nam ferendo discimus perferre. Rectè Seneca. *Solidissima* (inquit) *pars est corporis, quam frequens vsus agitauit.* Cõtemptum periculorum assiduitas periclitandi habet. Sic sunt nautica corpora ferendo mari dura. Agricolis manus tritæ. Ad excutienda tela militares lacerti valent. Agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod excutit. Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat. Ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit. Fragiles sunt, quæ in apricâ valle creuerunt. Ad eundem modum scribit S. Chrysost. *Si animam præparatam habes, non nocebit tribulatio. Sicut enim aurum in camino non læditur: sic nec stabili animæ tribulatio nocebit. Quid operatur caminus? Aurum mundat. Quid operatur tribulatio? Tolerantiam ampliorémque patientiam. Abscindit enim desidiam, & coadiuuat animam, & sobriorem reddit. Sicut firmas arbores ventorum impetus incidens, & vndique iactans, non euellit: sed & solidiores & firmiores his incursibus reddit: sic animam sanctam, & piè viuentem, tentationum incursus & tribulationum, non supplantant, sed etiam ad maiorem patientiam præparant.*

Homil. 14. in Matth.

Homil 14. ad popul. Antioch.

Nam continuis actibus patientiæ ad habitum tan-

dem

dem peruenitur. *Cæterum non ita naturaliter compositi sunt hominum animi, vt illis patientiam secum afferat afflictio*: sed impij quemadmodum Pharaonis exemplum indicat, magis inde ac magis ad insaniam prouocãtur. Patientiam igitur ille operatur in piis, qui afflictiones mittit, nempe Deus, à quo gratis datum est eis pro Christo, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo pati. Caluin. in hunc locũ. Phil. 1. 29.

Hoc argumento suadet & ostendit Apostolus in afflictionibus gaudendum esse, quia fructum pariunt, non parui æstimandum: nempe *patientiam*, quæ omnia vincit aduersa, *non colluctando, sed sufferendo: non murmurando, sed gratias agendo*, vt ait Cassiodorus. Hæc ea est, quæ fidem ostendit, fortitudinem arguit, charitatem adiuuat, carnem mortificat, spiritum conseruat, tentationes conculcat, linguam frænat, scandala impedit, & martyrium consummat. Hæc pauperes sustentat, diuites temperat, humiliatos exaltat, & omnes exornat. *Amatur* (inquit Tertullianus) *in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu & ætate formosa est.*

Quoniam igitur tentatio non modò *Lydius lapis* est, ad quam fides exploratur, sed etiam patientiam, virtutum omnium nutricem & ornamentum, operatur, gaudere nos oportet, quoties in eam inciderimus.

Sed orandum est, ne Deus nos inducat in tentationem. Respondeo, aliud est tentari, aliud in tentationẽ induci. Inducit Deus in tentationem, cùm nõ liberat, sed Satanæ, seu prauis affectibus, & malitiæ cordis aliquem tradit. Inducitur in tentationem, qui vincitur. Tentatur verò, cuius fides & virtus exploratur, cuius obedientia probatur: siue id fit sollicitatione alienâ ad malum, vt Iosepho, & ipsi Christo euenit: siue persequutione, & aduersis, vt hîc. Non autem simpliciter & sine omni exceptione precamur, ne tentemur, sed ne tentationi succumbamus, ne tentati superemur. Aduersa abiectè non fugimus, sed æquo animo toleramus, & fœlicem ex tum expectamus. Tentationes abesse à me velim (si ita Deo placuerit:) sed si sustinendæ fuerint, vt me in illis fortiter, honestè, animosè, pru- Obiectio solut.

denter geram, precabor, & ſtudebo. Vulnera, vincula, famem, inopiam, mortem non exopto, non quęro: ſed, ſi inciderint, vt gratanter, lætanter & generosè feram, orabo. *Non ſum tam demens* (inquit Seneca) *vt ægrotare cupiam: ſed ſi ægrotandum fuerit, vt nihil intemperanter, nihil effœminatè faciam, optabo.* Mala nō ſunt optabilia, ſed virtus, quâ perferuntur mala. Et quoniam tentationes ſuorum Deus ſanctificat, & adiumento eſſe (& cooperari ad bonum) iis facit, ideò lætis animis eas excipimus & toleramus, ſuccumbere & frangi turpe exiſtimantes, interim vehementer cupientes vt vires nobis ſuppeditet, vt perſtemus fortiter, &, ſi moriendum ſit, inuicti moriamur, vt victores glorioſi reſurgamus.

Rom. 8. 28.

Sed gratias agamus Domino Deo noſtro, qui per afflictiones (quæ impios fremere & furere faciunt) patientiam in ſuis operatur: quâ certè nihil eſt præſtantius, nihil pulchrius. Et bonum eſt, & optabile, quicquid ex huius geritur imperio. Nam in ſtadio Chriſtiano hæc certandi lex eſt: non, qui percutit, ſed qui percutitur: non qui mala facit, ſed qui mala patitur, coronatur. Mirabor fortunam gubernatoris, qui nullas procellas ſenſit, nullos piratas vidit, nullis vnquam tempeſtatibus iactatus eſt: ſed illum magis ſuſpexerim & laudauerim, qui nullis fluctibus terretur, nullis procellis mouetur, nullis piratarum inſultibus ſuccumbit: ſed aduerſus vētos renititur, aduerſus fluctus inſurgit, piratas fugat, nec metuit vel cùm eleuatur vndis nauigium, vel cùm ad profundi ima deponitur. Non minimæ quidem erit laudi homini Chriſtiano, ſi quadrati lapidis ſimilis fuerit: hoc eſt, ſi in omni tribulatione perſtiterit. *Nam quadratum lapidem quacunque verteris, ſtat,* vt rectè notat Diuus Auguſtinus. Neque duntaxat facere, ſed & pati fortia Chriſtianos decet; vt qui bona faciendo, & mala patiendo, gloriam ſempiternam per merita Chriſti ſunt adepturi.

Aug. in Pſal. 86.

Verſ. 4.

Patientia verò opus perfectum habeat, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

Exhor-

EXhortatur ad constantem perpessionem afflictionum,& exhortationem argumento munit.

Patientia est species quædam fortitudinis Christianæ,quâ patienter, hoc est, æquo & infracto animo aduersa ferimus, & cursum nobis à Deo destinatum finimus: vel, est tentationum gratiosa & animosa perpessio.

Patientia opus perfectum habere dicitur,cùm constanter & lætanter tentationes ad mortem vsque patimur,& sustinemus. Perfectus & integer is habetur, qui virtutibus omnibus ad æternitatem necessariis decoratur,ac in eisdem vsque ad finem perseuerat.

Hortatur Apostolus vt constans & assidua sit animi nostri patientia.Nam non oportet exordia sola habere clara,sed & finem claram.Inaniter currit,qui vsque ad finem vitæ non perseuerat. Beatus is erit solus, qui patienter ad mortem perseuerat. Non qui incæperit, sed qui perseuerauerit vsque ad finem,hic certò saluabitur. Nihil est,quod non expugnat assidua opera, & constans patientia. In excelso est æterna beatitudo Sanctorum,sed perseuerantiâ penetrabilis est.Solus ille bonam agit vitam,qui bona facit,& mala fert, & sic ad mortem perseuerat. *Turpe est*(inquit Seneca)*cedere oneri,& luctari cum officio,quod semel recepisti: Non est vir fortis,ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsâ rerum difficultate*. Non *tulisse* mala, sed *ferre*, laudi est Christiano.Incassum aduersa tolerauit,qui tolerare vel desinit,vel patientiam in furorem cõuertit. Denique perfectus non est,sed *mancus*:integer non est,sed *mutilus,morbidus,& dolosus*:in nullo non deficit,sed *multum ei deest*,magna rerum spiritualium inopiâ laborat, cui deest patientia,virtutum omnium decus, subsidiũ & condimentum.Patientia vera virtutum virtus est,& vir,sine quâ virtutes viduæ sunt, & viri molliores sunt muliercul is,& infirmiores calamis. Tolle patientiam, nec miles victoriam reportabit, nec victor triumphabit.Sine patientia nec obedientia præmium habebit, nec bene faciendo gloriam cõsequemur. Nam Deus,

Matth.24. Apoc.2.

qui reddet vnicuique ſecundum opera ipſius,ei dun-
Rom.2.6.7. taxat vitam æternam dabit,qui *per patientiam boni operis*
Heb.10.36. gloriam & immortalitatem quærit. Patientia igitur nobis eſt neceſſaria, vt voluntatem Dei facientes re-portemus promiſſionem illam vitæ beatæ. In patien-
Luc.21.19. tiâ igitur noſtrâ poſſideamus animas noſtras, ac in ea alacriter perſeueremus.Nam abſque ea nemo videbit Deum,nemo animam ſuam ſeruabit,nemo coronabitur. Scito te inſincerum eſſe,& hypocritam, cùm hypocritis periturum in æternum, ſi impatientia victus, vel patientia exutus, tentationibus ſuccumbas, & aduerſis frangaris, ſi patientia tua, quaſi torrente, deficiente,vel fidei, vel bonis moribus renunciaueris. Indignus eſt Chriſto, qui Chriſti crucem ferre recuſat. Non eſt dignus Deo,qui tentationes Dei perferre,qui iugum à Deo ſibi impoſitum tolerare nolit,ſed ſe ſubducit,vel miſerè ſuccumbit & proſternitur. Patientes ſoli cœlos poſſidebunt.Nuda,ſimplex,humilis & inormis patientia victoriam reportabit, Diabolo inſultabit, & coronam gloriæ cœleſtis obtinebit. Regnum noſtrum ſupercœleſte cõſequimur,non malis artibus, non vi & armis, vt multi Principes mundani terrena ſua,ſed precibus, lachrymis & conſtanti perpeſſione malorum. Omne feret punctum, qui animi lætitiam miſcet duris, qui conſtanter fert aduerſa, & patienter propoſitum ſibi ſtadium decurrit.Is denique ſolus bona terra habetur, qui fructum affert in patientia, Luc. 8.15.

Verſ. 5.

Si quis autem veſtrûm deſtituitur ſapientiâ,poſtulet à Deo, qui dat omnibus abundè,nec exprobrat:& dabitur ei.

REſpondet Apoſtolus ad tacitam obiectionem. Obiiceret enim aliquis, Rem magnam poſtulas, ô *Iacobe*,& perdifficilem. Aduerſa,aduerſa omnia,omnigena, quantacunque, lætanter & conſtanter ad mor-

mortem,ferre quis poterit? Facile quidem hoc eſt dictu:factu verò non item. Reſpondet Apoſtolus, Difficile hoc eſſe concedo,poſſibile tamen. Non omnis eſt hoc facere, ſed ſolius ſapientis, qui vnde veniunt aduerſa,& quorſum immittuntur, nouit, & Spiritu *Ieſu*, qui eſt *æterna Sapientia* Patris,inſtructus eſt.Si cui igitur veſtrûm deeſt ſapientia,petat à Deo,donorum omniũ bonorum fonte, qui dat omnibus liberaliter, qui petunt,nec cuiuis beneficia ſua, quæ dedit, niſi ingratis exprobrat:& dabitur ei.

Hinc 1. diſcimus ſapientiæ eſſe res aduerſas animo læto & conſtanti perferre. Stultitiam prodit, qui mala non inuictus patitur. Solus patiens eſt ſapiens. Stultus mala libentiùs facit, quàm tolerat: ſapiens verò mala libentius tolerat,quàm facit. Stultus à malo vincitur: ſapiens verò malum vincit, nullam iniuriæ vltionem quærit,pro veritate contumeliam pro lucro putat: ſed hæc ſanctorum ſapientia, vt *ſimplicitas* deridetur: quia & ab quius mundi ſapientibus puritas virtutis fatuitas creditur,& ſapientia vera ſtultitia mera à ſtultis exiſtimatur. Patientia eſt ſapientia Sapit, qui patitur.

2. *Si quis deſtituitur ſapientiâ*, inquit Apoſtolus. Homo ergò poteſt eſſe,etiamſi ſit ſapientia deſtitutus:eſt igitur ſapientia, hoc eſt, ſcientia & ars ferendi tentationes læto & infracto ſpiritu, *accidentale* quiddam homini. *Petat eam* à Deo. Nam ſine ſapientia non poterit eas ſic perferre.Sapientia igitur iſta *eſſentialis* eſt ei,qui eas ita patitur.

3. *Petat*:proinde ſapientiam hanc à nobis non habemus.Petat,inquit:nam non datur, niſi petenti,niſi petenti ex ſenſu defectus ſui.Hoc autem Deus facit conſultò,vt inflammentur affectus noſtri,vt gratis animis agnoſcamus ipſum datorem,& vt pluris faciamus dona eius.

4. Petat *à Deo*,authore ſcilicet bonorum omnium, Deus ergo ſapientiæ fons eſt ac dator.Nihil dat,quod non habet: ſi igitur ſapientiam à Deo poſtulare nos o- Pro.2.6.

porteat, neceſſe eſt vt eam in nobis Deũ operari poſſe crederemus. Deinde, quia petimus ſapientiam à Deo, confitemur Deum audire clamores cordis noſtri, affabilem item eſſe & miſericordem.

5. *Qui dat omnibus.* Non eſt ergo perſonarum reſpectus apud Deum. Homines non metitur Deus ex genere, vel ex patria, vel ex forma aut ætate, vt eorũ preces exaudiat, vel aſpernetur. Pauper es, ignobilis es, contemptus es, deformis es: ſed bono animo ſis. Deus Deus magnus & miſericors nihilominùs tui miſerebitur, & preces tuas humiles ac feruentes exaudiet. Solet Deus, cùm ſincerè quæritur, compenſare deformitatem corporis pulchritudine virtutis, indigentiam veſtium ornamentis Chriſti, miſerias mundi deliciis Paradiſi, ignobilitatem patriæ claritate cœleſti, ſterilitatem ſoli fertilitate poli.

6. Dat ἁπλῶς, id eſt, liberaliter, copiosè, affluenter. Petentis negligentia damnatur, vbi de liberalitate & munificentia donantis non dubitatur. Copiosè dat Dominus: is donorum ſuorum tenax eon eſt, ſed candidus diſtributor: copiosè igitur effundamus preces noſtras, qui ſerui, qui filij eius ſumus: petaces ſimus donorum eius, & gratis animis accipiamus. Deus non eſt eis ſimilis, qui multa promittunt, ſed pauca vel nihil omninò præſtant, quibus manus eſt parca, & lingua prodiga: os amplum & largum, manus verò ſemicluſa, tenuis & anguſta: vox liberi, ſed cor ſordidi mancipij. Affluenter dat Deus omnipotens omnibus, qui à Deo petunt propter Deum. *Aperi os tuum,* (inquit) *& ego implebo illud.* Sapientiam, vt feramus aduerſa lætanter, poſtulemus à Deo aperto corde, largo animæ affectu. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus, quàm ſermonibus agitur: plus fletu quàm afflatu: plus voto, quàm uoce. Sapientiam dabit, ſi petis: non dabit ſemper liberationem. Poſtulantem patientiam Deus te miſericorditer audit: poſtulantem verò liberationem te forſan non audit, & miſericorditer non audit. *Quid enim.*

Pſ. 80. 11.

enim infirmo sit vtilius, magis nouit medicus, quàm ægrotus, inquit D. Augustinus. Paulo liberationem petenti sæpè, respondit Deus, *Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. 9.

Ἁπλῶς tamen significare potest *simpliciter*, siue candidè, *sincerè* scilicet, ingenuè, & absque respectu personarum. Magis tamen altera significatio mihi placet, in quo sensu vox ἁπλότης vsurpatur ab Apostolo Paulo in Epistola secunda ad Corinthios. 2. Cor. 8. 2. & 9. 11.

7. Dat *affluenter*, nempe sapientiam & cætera bona spiritualia supplicibus. Donum igitur est sapientia, nō hominis, sed Dei. Donum est, non simile munusculis pauperum, qui dant dona diuitibus, vt maiora accipiant, vel ne lędantur ab ipsis. Donum est, sed nec corruptionis, nec seductionis, nec malefici. Est donum Dei bonum ac salutare, quo Deus nobis prodest, non sibi ipsi. Est donum gratis datum per merita Domini nostri *Iesu* Christi. Dat Deus multa communia dona impiis & infidelibus: sapientiam verò hanc suis duntaxat tribuit, idque propter *Iesum*, in quo reconciliauit eos sibi, nobis omnia propter eius merita donans, quæ ad salutem æternam consequendam requiruntur. Sapientiæ est scire, cuius donum sit sapiētia, Sap. 8. 21.

8. *Nec exprobrat.* Deus non est similis auaris, morosis, & malè moratis, qui beneficia sua quę contulerunt, obiicere, & exprobrare sæpè sunt soliti: sed benignissimè, candidissimè, ac generosissimè dona sua dat, nec exprobrat cuiquam, ni sit ingratus, & beneficiorum, quæ accepit, immemor. Nōnunquam etiam homines non illiberales, si identidem ab eis idem releuari se petat, priora beneficia commemorare solent, atque ita excusari cupiunt: ac proinde homines, quantumuis amicos, & liberales, nos fatigare pudet sæpius petendo. Sed in Deo nihil simile reperitur. Nunquam illum dare pœnitebit, si nos ab illo petere nunquam pigebit. Si semper grati ei esse perrexerimus, eum nobis semper largitorem benignissimum habebimus. Priora beneficia nouis subinde cumulare solet. Nemo igi-

tur, modò gratus ſiet, Deum ſæpiùs adire metuat. Petamus igitur à Deo, quæ nobis opus ſunt, quotidie, inceſſanter. Sed ingratitudinem, vt malorum metropolim, fugiamus. *Peremptoria res enim eſt ingratitudo* (inquit S. Bernardus) *hoſtis gratiæ, inimica ſalutis: quoniam nihil ita diſplicet Deo, præſertim in filijs gratiæ, quemadmodum ingratitudo.* Venenum, quod ſerpentes in alienam perniciem proferunt, ſine ſuâ continent: non ita vitium ingratitudinis continetur, ait Seneca. Torquet ſe ingratus & macerat, imò & ſibi obicem ponit. Indignus enim planè eſt dandis, qui non eſt gratus pro datis.

9. *Et dabitur ei*, hoc eſt, qui poſtulauit ſapientiam, ſapientiâ donabitur. Nam pulſanti aperietur, & petenti dabitur. Quemadmodum præceptum oſtendit quid debeamus facere, hoc eſt, petere: ita promiſſio docet, quid debeamus ſperare & expectare, ſi à Deo ſapientiam petas, non fruſtra petiturus es: ſapientiam reportabis. Petentes Deus amat, clamoribus animæ ſitientis delectatur, ſupplices non auertit vacuos, ſed exaudiet & implebit bonis. Quid times anima mea? Deus affabilis eſt, candidus, clemens, & benignus. Cur dubitas? Deus verax & fidelis, omnipotens ac miſericors. Effunde petitiones tuas in aures Domini. Sapiẽtiam, patiẽtiam, charitatem, cæteráſque virtutes, pete & dabuntur tibi. Fletu, non faſtu: precibus, non armis: orando, non bellando, Deum omnipotentem vinces, & lucraberis. Qui nulla vi premi, nulla fraude decipi, humili oratione flecti poteſt Deus, ac vt ita dicam, expugnari. *Omnes medici pecunijs: Deus autem ſola oratione placatur*, ait beatus Chryſoſtomus.

Chryſ. Homil. 18. in Matth.

Verſ. 6.

Sed poſtulet cum fide, nihil addubitans. Nam qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui vento agitur, & iactatur.

Sed poſtulet. Hoc eſt, ſapientiam, vt tentationes ferat æquo animo, à Deo petat. At tu dices, Quid mihi o-

vt ex-

pus est oratione? *Propter hoc indiges* (ait D. Chrysost.) *quia indigere te nō credis.* Deus optimè scit, quę tibi desunt, & vult te quoque eadem & scire, & sentire, atque etiam agnoscere eum fontem esse, vnde fluunt. At dicis, postulaui, sed nō reportaui. Nō exauditus es, perseuera vt exaudiaris. *Etsi differt aliquādo Dominus, nō id odio facit, neque te auersatur: sed differendo diutius te secum seruare vult.* Sicuti & patres filios indulgentiùs amantes, quò illos diutiùs apud se detineant, quos desides vident, deditâ operâ morātur aliquid daturi. Sicut (inquit Augustin.) si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnū fit, quod dabitur, extendas sinum vel sacci, vel vtris, vel alius rei, vt extendendo facias capaciorem: sic Deus differendo (petitionē) extendit desideriū, desiderādo extendit animam, extendendo facit capacē eorū (quę daturus est) quę oculus non vidit, & auris non audiuit.

Chrys. ad pop. Antioch. Homil. 79.

Chrysost. Homil. de profect. Euangel.

Aug. tract. 4. in epist. Iohan.

Cum fide, nihil addubitans. Id est, postulet sapientiam in fide, nihil hæsitās, nihil disceptās de potentia, veritate & benignitate diuina, sed certò credēs Deū per intercessionē & merita Christi sibi, quod petit, concessurū.

Hæc est legitima precandi ratio. Oportet nos precari cum fiduciâ, & certitudine diuini in nos amoris, & speciali persuasione ac spe impetrandi sapientiam, quam petimus. Non debemus διαχρίνεσθαι, disceptātium more inquirere, & in dubitationē vocare, exaudiendi simus, necne: sed promissioni b. diuinis fidē habere, & misericordiâ Dei certâ animi fiduciâ niti. Nā quēadmodum corpus hoc nostrū, si nō adsit anima, profectò mortuū est, ac fœtidum: sic oratio sine fiducia, mortua est, inefficax, & abominabilis. Militat sine armis, qui postulat sine fide. Qui seipsum oratione fidei destituerit, perinde fecerit, ac si piscē ex aquis extraxerit. Non potest homo loqui sine *vocalibus*, neque precari verè sine fide. Et sicut ædificiū nullū est delectabile hominibus sine luce, ita nihil orationis est acceptū Deo sine fide. Opus igitur nobis est credulitate ac fiducia. Aromata odorifera dęlectāt hominē, sic oratio fidei suauis

est ante Deum. Hunc nobis deuincimus, & arctè tenemus; non funibus, sed fide; non vinculis, sed votis; precationibus fidei, non potētia brachij. Plus potest apud Deum, qui plus affert non auri, sed fidei. Incrēdulitatē igitur nostrā abiiciamus & fidē habeamus. Qui enim *hæsitat* (inquit S. Iacobus) *similis est fluctui maris, qui ventis agitur, & circumfertur*: hoc est, incōstans & inquietus est, cæcis suis affectibus miserè iactatus & circūactus. Nulla enim nobis potest esse vera pax & quies, nisi dum per fidem recumbimus in virtutem, veritatem & bonitatem Dei. Qui terram colit, sentes eradicat, vt vberiores fructus colligere possit: ita qui orationis fructus dulces gustare concupiscit, impedimenta omnia, præsertim incredulitatem & hæsitātiam, amouere debet. Quemadmodam enim pedi obtorto, atque obliquo, calceus rectus non admodum probè aptatur: ita etiam cordi incuruo & incredulo diuina χαρίσματα minimè cōueniunt. Enimuerò homo infidelis & hæsitabūdus capax nō est donorum eorum, quæ Deus filiis suis tribuit, qui ad ea recipiēda per orationes fidei pręparātur. *Dices*, Ego homo miser sum, & peccator magnus. Respondeo, Deum misericordem esse, & nullius misereri, nisi miseri, nullos saluare, nisi peccatores. Tu peccator es, at interceſſor tuus, Dominus *Iesus*, peccatū non nouit, non fecit, sed legem impleuit. Is iustitia tua est, & Deum iustum tibi propitium & placatum perfectissimè reddidit. Recumbe tu in promissionem Dei, qui fidelis est, nec te vnquam fallet, si te ei credas. Petentibus promisit gratiam, crede igitur, & pete, & gratiam reportabis.

Videmus igitur Deum non solum finem præordinare, sed etiam media subordinare. Vult te donare sapientia, vult etiam te eam postulare cum fide, absque dubitatione. Si dubitabis, & cū fide nō postulabis, nihil certè reportabis, vti Apostolus verbis sequentibus ostendit.

Vers. 7.

Vers. 7.

Nō enim existimet homo ille se quicquā accepturū à Domino.

OPortet nos cum fide orare, nihil hæsitantes: alioquin Deus non exaudiet preces nostras. Frustrà petit, qui sine fiduciâ impetrandi petit. In nobis materiam dubitandi esse non est dubium, sed fide in Dei veritatem & benignitatem, & Christi mediationem, dubitationes omnes superare debemus. Arbori nos esse similes oportet, quæ firmas radices iecit, quæ licet ventis sit concussa, manet tamen suo loco stabilis, & non reuellitur, sed potius robustior fit. Decipitur igitur incredulus & dubius, si putet se vllam gratiam salutarem à Deo accepturum, si rogauerit fluctuans; & à se ipso decipitur. Si autem te ipsum fallis, quomodo tibi fidem habebit alius? si te capis, si te decipis ipsum, quomodo te liberabis, quomodo te iuuabis? Si te fallis, quomodo fallentē falles? Si tibi imponis ipse, haud immeritò à te tibi metuas.

A Domino. Hoc est, à Deo, qui merū habet imperium in omnes creaturas, & nobis Dominus Creator, Dominus Saluator, Dominus Gubernator, Dominus Maritus est. Eum igitur colere, & honorare, ei seruire, obsequi, & credere nos oportet. *Multi dicunt, Quis ostendet nobis bonum?* Nos verò, *Leua super nos lucem vultus tui, Domine*, Multi clamant, *Adiuua Domine*, perimus: perpauci verò dicunt, *Domine, quid me vis facere?* Loquere Domine, quia *audit seruus tuus.* Des Domino aures tuas, si cupis manus eius. Si vis à Domino seruari, velis etiam Domino seruire. Si tibi sit Dominus, dominetur tibi, & ei placere studeas. Pudeat te illum Dominum tuum appellare, si pigeat te illum honorare. Indignus es Domino tuo, si fidem ei per incredulitatem non habebis, si ei te ipsum credere non audeas. Dic sodes, quis mare traiicit, nisi priùs semet ipsum credat gubernatori? Quis cedò ægrotās valetudinem recuperat, nisi semetipsum priùs credat medico? Quis Psal. 4. 6. 7.

artē vllá diſcit, niſi priùs ſemet ipſum crediderit præceptori? Quis amabò metit, niſi priùs triticum credit terræ? Si igitur nauigaturus credit gubernatori nauis, ſi indoctus præceptori, ſi æger medico, ſi agricola ſulcis, túne trepidabis, túne recuſabis temet ipſum credere Domino, DominoDeo tuo, conditori tuo, redemptori tuo, amico tuo, marito tuo? Audiamus Pſaltem pauliſper, *Diligam te Domine, fortitudo mea: Dominus petra mea, & munitio mea, Deus meus, & robur meū, in quo ſperabo, clypeus meus, atque refugium meū. Tu latibulum es mihi, à tribulatione cuſtodies me. Spes mea eſt in te. Deo ipſi ſile, tu anima mea: quoniam ab ipſo eſt ſpes mea. Vtique ipſe eſt potentia mea, & ſalus mea: ipſe exaltatio mea, ideò vō mouebor.* Et beatum Iacobum, *Etiamſi*, inquit, *occiderit me Dominus, in ipſo ſperabo.*

Pſal.18.1.

Pſ.31.8.
Pſ.39.8.
Pſ.62.5.

Iob.13.

Verſ. 8.

Vir duplici animo inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis.

Vir duplici animo, vel animâ, δίψυχος, hoc eſt, vir incredulus & hæſitabundus, qui quaſi duplex homo eſt, non ſimplex, & ſibi ſimilis, ac ſi duabus animabus animatus & actus eſſet, *Inconſtans*, incertus, inſtabilis & duplex eſt, non *in paucis* viis, ſed in cogitatis & factis ſuis *omnibus*. Nunquam vnum & idem conſtitutum habet: ſed nunc turget carnis confidentiâ, nunc diffidentiâ profanâ in profundum mergitur: nunc extollitur ad aſtra vanâ præſumptione, nunc deturbatur ad infernum turpi deſperatione. Ac proinde tantum abeſt, vt iſtius preces poſſint aliquid impetrare, vt potius iram & excandeſcentiam Dei commoueant. *Abominatio Domini lapis & lapis*: ita abominatio eſt apud Dominum homo & homo, anima & anima, cor & cor. Deus ſimplex, ſimplex, ſimplicibus delectatur: fidelis eſt, conſtans eſt, idem eſt: fidelibus, conſtantibus & certis fauet & auxiliatur. Quando orat incredulus, videtur

Pro.20.23.

detur ad Deum accedere: ſed quia diffidit ac hæſitat, à Deo recedit. Orando conuertit faciem in Deum, diſceptando conuertit dorſum: orando cum hęſitatione & incredulitate, conuerſa facie, ſed auerſo dorſo, à Deo abſcedit, ac fugit.

Vir *duplici animo inconſtans eſt in viis ſuis.* Vnde inconſtãtia viæ, niſi à duplicitate animæ? Ex abũdantia cordis os loquitur, manus operatur, pes mouetur. Vis eſſe conſtans in via? Sis ſimplex anima. Vnitas, identitas, ſimplicitas & conſtantia viæ ex vno, eodem, ſimplici & conſtanti animo manat. Perdices Paphlagonię duo corda ſingulos habere ſcribit Theophraſtus. Ne ſimus nos homines, nos Chriſtiani, perdicibus iſtis ſimiles, ne ſimus duplici corde, duplici animo: ſed in ſimplicitate cordis noſtri Deum inuocemus & adoremus, ei credamus & adhæreamus, quia vnus eſt & verus, idem ſemper & ſibi ſimilis. Ne nobis ſimus obſtaculo per incredulitatem & inanem metum. Fidem habeamus Domino, qui fidelis eſt, bonus eſt, miſericors eſt. Domine, adauge nobis fidem: adiuua incredulitatem noſtram: hæſitationem omnem & diffidentiam carnalem adime, per *Ieſum* Chriſtum, principem & perfectorem fidei & ſpei noſtræ. Amen. Theophr. l. 7. c. 17.

Verſ. 9.

Porrò glorietur frater humilis in ſublimitate ſuâ. 10. *Diues autem in humilitate ſuâ, quia tanquam flos herbæ præteribit.* 11. *Nam Sol exortus eſt cum æſtu, & arefacit herbam, & flos eius decidit, & decor aſpectus eius peryit: ita & diues in itineribus ſuis marceſcet.*

PORRÒ. Repetit Apoſtolus propoſitionem, gloriandum ſcilicet eſſe in afflictionibus, vtpote quæ fideles non deprimant, ſed attollant.

Frater. Hoc eſt, homo Chriſtianus, Dei & Eccleſię filius. Omnes pij & orthodoxi Chriſtiani verè ἀδελφοὶ

sunt habendi, id est, fratres vterini, ὁμόδελφοι, ex eodem vtero orti, ὁμοπάτριοι, & ὁμομήτριοι, ex eodem patre, & ex eadem matre nati, hoc est αὐτάδελφοι, fratres germani, ex iisdem parentibus progeniti, Deo Patre, & Ecclesia Catholica Matre. Immeritò igitur vocatur frater, qui μισάδελφος est, non φιλάδελφος. O Christiane, σωμάδελφος es; ne tibi soli viuas, ac si ἀπάδελφος, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγχιαλόγητος esses. Memento te parentes habere; hos honora. Recordare te fratres habere; his ex charitate seruito. Sed Apostolus dicit *Frater*, vt significaret nullum fore locum in cordibus nostris huic cœlesti doctrinæ de contemptu mundi, & ferenda cruce læto & infracto animo, donec asciti in ordinem & album filiorum Dei, atque hæreditatis nostræ cœlestis spe sustentati fuerimus.

Humilis. Hoc est, qui est humilis conditionis, qui affligitur paupertate, vel vlla alia calamitate. Humilis hîc opponitur diuiti, & ei, cui omnia ex animo suo prosperè succedunt. Est enim duplex humilitas, cordis & cõditionis. Qui humilis cordis est, nõ semper est humilis conditionis, nec qui humilis cõditionis est, semper est humilis cordis, & affectu pauper. Videmus enim nonnunquam diuitem animi modestia ac humilitate splendentem, & pauperem, atque adeò mendicum aliquem, superbia ac fastu turgentem.

Sed Apostolus dicit *frater humilis*: vnde discimus fraternitatem ex opulentia & prosperitate non esse censendã. Omnes enim, qui fratres sunt, qui fideles sunt, non perinde diuites sunt. Sunt fratres opulenti, sunt etiam fratres egeni: hic nobilis est, ille humilis: est *Iobus*, est etiã *Lazarus*. Vult Deus filios suos humiliare in hoc mundo, vt honoret in futuro: deprimit in terris, vt erigat in cœlis: humiles facit conditione, vt humiles faciat corde: pauperes facit, vt paupertate affectus imbuat, & diuitiis meliorib. instruat: inglorios ἀνδόξους reddit, vt glorioso ἐνδόξους efficiat. Tu frater diues es, honorabilis, illustris: creatura Dei es, vt diues es, vt frater

es,

es,vt homo es, vt honoribus clarus: gratias age Creatori tuo:ne ſuperbias. Vides fratrem tuum Chriſtranũ humilem,pauperem,afflictum:ne deſpicias. Qui te fécit,fecit & illum,illum progenuit,illũ humiliauit,illũ afflixit. Frater eſt,ama vt fratrẽ:ſi frater es, ne cum reſpectu perſonarum fraternitatem habeas. Humilis eſt, tu verò eum honora,quia ex Deo genitus eſt, quia nobilis factus eſt ex ſanguine Chriſti. Pauper eſt, tu ei ſuccurras,vt opulentior fias. Accipit Chriſtus quæ das Chriſtiano:Chriſtum tibi(vt ita dicam)debitorem feciſti: rependet, quæ accepit: in ære tuo non hærebit. Diuitiæ tuæ dona ſunt; gratis accepiſti, gratis dato. Dicuntur *Bona*, non quia te bonum faciunt, ſed quia materiam tibi miniſtrant, vnde facias bonum. Bonus eris,ſi bonis tuis bene vtaris,ſi fratres tuos inopes opibus tuis ſuſtentes ac alas. Proba te diuitem eſſe,ac bonum, bona bonis dando, & eorum malis medendo. Exere potentiam tuam, manifeſta diuitias tuas benefaciendo, non malefaciendo: excipiendo, non eiiciendo:iuuando,non nocendo: pauperes ſubleuando & fouendo,non premendo & ſpoliando:humiles honorando, non onerando, exaltando, non deprimendo. Memento, quæſo, infernum refertum eſſe diuitibus,potentibus,magnis:fratrib. verò Paradiſum, patére pijs, etiamſi in hac vita ſint humiles, pauperes & variis aduerſis agitati. Tu autem, qui humilitate & miſerijs mundanis es probatus,& exercitatus humilia te in conſpectu Dei,& inuenies gratiam. Humilitas tua, paupertas tua non venit ſine merito, quia Deus eſt iuſtus:nec erit ſine cõmodo,quia Deus eſt bonus. Medicus,vt curet ſpaſmũ,procurat febrim: Deus te malis affligit,vt fias bonus. Mala bona eſſe puta,ſi medicamenta ſint,ſi tu malis fias bonus. Memento te *fratrem* eſſe: melius eſt te fratrem eſſe, quàm te diuitem eſſe. Fœlicior es,ô humilis,quia frater es,omnib. huius mundi diuitibus & nobilibus, qui fratres non ſunt. Debes tu Deo plus pro eo, quòd frater ſis quàm diues

Sæpe fit Dei prouidẽtiâ, vt qui non cognouerint Deum in proſperis,cognoſcant in aduerſis,& qui diuitiis malè abuſi ſunt,ad virtutes penuriâ corrigãtur. Hieron. in Ioel.c.1.

Epulo pro diuitiis suis. Humilis es quoad exteriorem conditionem, sed honorificus, illustris, & opulentus quoad præsentem statum gratiæ, & futuram possessionem æternæ gloriæ, & gloriosæ æternitatis. Sublimis igitur est frater in humilitate, locuples in summâ paupertate, Dominus in seruitute, liber in captiuitate, fœlix in calamitate: ac proinde vult eum Apost. *gloriari in sublimitate suâ.*

Hinc duo discimus. 1. Fratrem humilem sublimem esse, fratrem pauperem diuitem esse, fratrem ingloriũ gloriâ & honore decoratum esse. Quid ita? Certè quia frater est, quia Dei filius est, quia membrum & frater Christi est, quia spiritum Christi in se habet, quia consors est diuinæ naturæ, & hæres cœlestis vitæ. Melius est esse filium Dei, quàm Cæsaris. Pretiosior est hæreditas poli, quàm soli. Præstantior est gratia Dei, quàm gloria mundi. Fœlicior est fraternitas Christi, quàm fruitio Mammonæ. Quid dixi? Crux Christi opulentior omnibus opibus mundi, iucundior est omnibus deliciis mũdi, laudabilior est omnibus epænetis mundi, nobilior est omni nobilitate mundi. Frater pauper & contemptus hæc cogitando se confortet, & erigat. Humilis est in viâ: sed sublimis erit in patriâ: hîc pauper, seruus, captiuus est, indignis modis tractatus est: illic beatus, liber, & rex erit, ac innumeris & æternis bonis affluet, & fruetur. Imò hîc verè sublimis & beatus est quoad *spem*, & quæ nunc habet in spe, tunc infallibiliter habebit *in re*. Hîc sublimis est, & beatus, sublimitate & beatitudine *viæ*: in vitâ futurâ sublimitate & beatitudine *patriæ*. Gratias agamus Christo, qui sublimitatem hanc nostram humilitate suâ misericorditer parauit. Sublimitate nostrâ internâ (& externâ, si qua sit) glorificamur eum, qui inceptor & perfector est omnis nostræ sublimitatis. Exaltemus eum deiiciendo & humiliando nosmetipsos in conspectu eius. Ei sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

ἐπαίνετος, vel Ἀξιεπαίνετος.

Humilitas Christi, sublimitas Christiani.

2. Oportere fratrem humilem & afflictionibus exer-

ercitatum exultare in hâc ſuâ ſublimitate & honore. Non debet humilis conditio gloriationem hanc impedire, quæ, ſi rectè ordinata fuerit, amaritudinem afflictionum aut omninò tollet, aut ſaltem minuet. Recta erit hæc exultatio, ſi gloriatur frater in ſublimitate ſuâ, tanquam in dono Dei, & quia meritis Chriſti procuratur, necnon ſi ad gratitudinem, obedientiam, & amorem erga Deum ſe magis inde excitet, & lętiorem reddat in ferendis aduerſis.

Diues in humilitate ſuâ. Hoc eſt, glorietur frater, qui diues eſt, in humilitate ſuâ. Per diuitem intelligit fratrẽ opibus affluentem, vel nobilitate, potentiâ, poteſtate, & aliis rebus externis excellentem. Eſt enim ſynechdoche ſpeciei pro genere. Per humilitatem autem ſignificatur, non animus ſubmiſſus, ſed ſtatus humilis, abiectus & pauper *Glorietur in humilitate ſuâ*, id eſt, Glorietur, quia humiliatur vel deiicitur à Deo, diuitiis ac honoribus amiſſis. Exultet in deiectione, ſummiſſione, paruitate & paupertate ſuâ. Exultare oportet in humilitate ſuâ, qui gloriari vult in ſublimitate ſuâ. Diues es, honoribus excellis, poteſtate prædītus es: ſed audi, potes fieri pauper, honorib. potes priuari, & poteſtate. Exilia ſunt, vana ſunt, incerta ſunt mũdana omnia. Stultũ ergo eſſet ex his inflari: vana eſſet gloriatio in his, quæ momẽto effluũt, & amittũtur. Sed vult Apoſtolus diuitem in deiectione & paruitate ſuâ gloriari, tãquam in medio ad emolumentum ſuum ſpirituale, ac æternam beatitudinem. Conditio certè diuitum exterior in eorum ſublimitate humilis eſt, quia incerta & lubrica eſt. Fallax enim eſt huius mundi gloria, vanæ & caducæ ſunt omnes eius diuitiæ, quæ vt poſſidentem immortalitate coronare non poſſunt, ita citò euaneſcũt, non ſecus atque flos & fumus. Pij ſoriò ſecum perpendentes gloriæ mundanæ vanitatem, & diuitiarum incertitudinem, oculos ſuos ab illis auertere, & ſpem omnem in Deo ponere, & meliores opes & honores quærere & amare admonentur. Atque adeò ipſę diui-

tum deiectiones, damna & μειώσεις gloriandi materiam ipſis prębent per miſericordiam & gratiam Dei. Suos enim Dominus deprimit, vt extollat: opibus ſpoliat, vt virtutibus impleat: cruce affligit, vt coronâ ornet: amicis priuat, vt Angelis aſſociat: iacturâ bonorum omniũ terrenorum caſtigat, vt animam periclitantem ſaluet, & bonorum certiorum ſtudioſiores reddat: in ignem denique tribulationis coniicit, vt puriores fiât, neque in ignem infernalem irruant, eóque miſerè in æternũ torqueâtur. Duplici igitur nomine gloriari debet frater diues. 1. quia frater eſt. 2. quia humiliatus eſt, hoc eſt, quia flos herbæ eſt, quia conditio eius inſtabilis, dubia, caduca, & aduerſis fortunæ flatibus expoſita eſt. Ex rebus igitur proſperis ne infleris, ne ſuperbias, ſed earum vanitas te humiliet, in humilitate tuâ animam tuam poſſideas, in paruitate & deiectione tuâ glorieris, & Deus bonus & iuſtus incertitudinem diuitiarum tuarum in via compenſabit certitudine delitiarum in patriâ: iacturam fortunarum tuarum in terrâ rependet bonorum omnium affluentiâ in cœlo. Humilitas & paruitas tua, ſi Deo conſtanter adhærebis, in hac vita, ſublimitate & maieſtate compenſabitur in futura. Amittis opes, inuenis Chriſtum.

Fallitur, qui ſe reprobum, aut infœlicem eſſe putat, quia opes aut honores amiſit.

Quia tanquam flos herbæ præteribit. Rationem continet humilitatis & paruitatis diuitum. Stulti imaginantur ſolos diuites ſublimes & magnos eſſe: ſed reuera conditio eorum humilis eſt, quia vanitati & incertitudini ſubſtrata eſt. Euaneſcunt enim opes, vt flores: liqueſcunt, vt cera ad ignem poſita: qui hodie diues eſt, cras pauper fiet, annuente Deo. Quæ mundus dedit, mundus auferre poteſt. Diuitiæ alatæ ſunt, & volando gaudent: incertæ ſunt, & incertitudine delectantur. Nullius pietatem aut formam reſpiciunt: preces & lachrymas floccifaciũt. Soli Deo ſemper & certò ſubſeruiunt & obſequuntur; eo iubente manent, eo item volente eunt, abeunt, pereunt, dilabuntur, nouos poſſeſſores quærunt. Diues, etiamſi frater, vt flos præteribit.

ueribit. Præteribit vt homo, quia mortalis eſt: præteribit, vt diues, quum Deus voluerit, quia opes caducæ & fallaces ſunt. Duplici ergo nomine Diues eſt flos; flos eſt quia homo eſt, & quia diues eſt: tantùm flos nõ eſt, quia frater eſt. Nam Chriſtianus germanus nunquam peribit. *Oues meæ*, inquit Chriſtus, *non peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam è manu mea.* Melius eſt igitur eſſe fratrem Chriſtianum, quàm diuitem mundanum. Quando igitur tibi, quod maius eſt, Dominus contulit, æquo animo ferre decet, ſi, (quæ minora ſunt, abſtulerit. Recognoſce tecum te florem eſſe, diuitias tuas vanas & caducas eſſe, ne turgeſcas, nec in te, neque in illis fiduciam tuam reponas. Diuitiæ ſi affluant, nolito cor apponere. Tolle ſuperbiam, diuitiæ proderunt. Magnus es, ſi te ideo magnum non putas, quia diues. Te florem eſſe ſcito, & confitere, vt nunquam defloreſcas, ſed vt ſempiterna gloria vireſcas & vigeas. Flores habent patrem in cælis, matrem in terris. Tu flos es, habes patrem in cœlis, qui Deus eſt. A Deo enim habes, quod diues es. Honora Deum Patrem tuum, viue Deo, ei te florem & diuitias tuas, flores etiam, committe, crede, permitte. His vtere, ne corrumpitor. Accedant tibi, vt flores, non hæreant, vt, ſi auferantur, ſine vlla laceratione tui diſcedant. Tu autem frater pauper, ne admireris diuitem, ne fiduciam in eo ponas. Fumus eſt, euaneſcet: flos eſt, vt flos herbæ præteribit. Non mirum eſt mortalem mori, nec florem decidere, neque diuitem deprimi, & ad paupertatem redigi. Ne pendeas igitur à diuite, ſed à Deo. *Domine exercituum, beatus homo, qui confidit in te.* Vis autem ſcire diues, quare te deſerunt homines, gloria tua iam exutum, & penuria rerum omnium laborantem? in promptu cauſa eſt; Herbæ ſimilis es, cui periêre flores: præteriiſti vt flos. Flores carpuntur, geſtantur, placent, donec erunt recentes, ſpecioſi & floridi

Iohan. 10. 28.

Sol pater florum habetur.

Pſ. 84. 12.

ſpecie verò amiſſâ negliguntur,& abiiciuntur. Amantur magis à multis diuitiæ diuitum, quàm diuites ipſi, quos comitantur, vt muſcę mel, vt corui ſequuntur cadauera pecorum & beſtiarum, vel vt formicæ frumenta. Non curant iſti bonos, ſed bona: prædam ſequuntur, non hominem. Canes ſunt, medullam amant, non oſſa inania.

Sol exortus eſt cum æſtu. Confirmatio eſt & explicatio ſuperioris ſententiæ de vanitate diuitiarum & mundanæ gloriæ. Vt enim flores ardore Solis flacceſcunt & decidunt, ac decorem ſuum amittunt, ita diuites flatu & nutu Domini marceſcent & euaneſcent, opibus & decore exuentur, quibuſcunque tandem conſiliis & artibus ſe munire conentur aduerſus temporum iniurias, ſuiq; vaſtationes. Quò minùs hoc fiat, ſi Deus decreuerit, nulla via obſtabit; nulla cogitata, nulla ſtudia, nulla conſilia, nulla molimina poterunt impedire: ſed his omnibus non obſtantibus marceſcent & deiicientur: erunt iubente Deo ſicut paleę ante faciẽ venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit, ac velut ſomnium, celerrimè euaneſcent. Fortuna, luna, nunquam vna. Rotantur omnes hîc: Regnabo, regno, regnaui, ſum ſine regno. Fortuna vitrea eſt, quæ cùm maximè ſplendet, frangitur.

Ecce diues, Sol dominatur flori, Deus tibi. Benignitate Solis florent herbæ, bonitate Dei diteſcunt homines. Non eſt enim volentis, neque currẽtis, ſed Dei miſerentis, qui facit vt Sol ſuus exoriatur ſuper malos ac bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, à quo exaltatio eſt, & diuitiæ omnes. Ardore itidem Solis herbæ areſcunt, ac flores marceſcunt & decidunt, ita mandato Dei, minuuntur opes, auferuntur honores, ac omnis decor & gloria diuitum tranſit & euaneſcit. Heliotropium non magis Solem, quàm diuitiæ ac honores tui ſequuntur Numinis nutum. Agnoſcas igitur, quæſo, Deum te maiorem eſſe, huic te ſubiicias, in eo ſolo acquieſcas, huic ſeruias, vt es diues, ea faciendo, quæ facere

Matth. 5.45. Pſal.75.7. 2.Parali.29.

facere non possis, nisi esses diues. Memento opes tuas terrenas omnes momentaneas ac caducas esse: meliores, constantiores quæras, ac eas vnicè ames, quas inuitè non potes amittere. Ne glorieris, quia diues es. Vana, stulta, & præpostera est omnis gloriatio in diuitiis, quæ subitò euanescunt. Quid gloriaris de iis, quæ ex seipsis veterascunt, aut vsu consumuntur, aut dolo, vel vi, vel calumnia diripiuntur? Verę illę sunt diuitię, quas cùm habueris, perdere non potes, istis delectêris, istas lucrêris. Solum postpone cœlo, opes fidei, prædia pietati, honores virtutibus, vniuersa mundi bona Deo vni. Hic certus, immutabilis, æternus est. Hunc tibi nemo potest auferre, nisi te illi auferas: hunc si nō habes, qui tibi dedit, quæ habes, nihil eorū omninò tibi prodest, quod habes. Virtutes tuas nemo tibi ingratis potest eripere: prædones verò ac piratæ possunt tibi bona tua, quàm maximè inuito, adimere, & nihil reliquū facere: pluris igitur virtutes tibi sint, quàm opes: vilius virtutibus sit aurum.

Vers. 12.

Beatus est vir, qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus ijs, à quibus diligitur.

COncludit D. Iacobus locum de patientia, proponens præmium amplissimum iis, qui res aduersas fortiter ad finem vitæ tolerant, videlicet coronam æternę vitæ.

Beatus. Beatitudo est bonorum omnium cumulus & aggregatio. Estque vel priuatiua, vel positiua; hæc in bonorum præsentia ac fruitione, illa in malorum absentia & remotione consistit. Bonum autem est à malis liberari.

Est. Beatus est, quia beatus erit. Beatitudo duplex est, viæ ac patrię. Prior cōsistit in remissione peccatorum Psal. 31.

& in certa ſpe atque expectatione bonorum cœleſtiũ. Spes autem certa eſt propter tria. Primò propter verbum promiſſionis: ſecundò propter potẽtiam ac fidelitatem promiſſoris: tertiò propter caput Chriſtum, cui fideles ac pij Chriſtiani vniuntur omnes, & inhærent. Regnat caput, regnabunt etiam certò cum eo membra. Fieri non poteſt, vt ij pereant, ac beatitudine priuentur, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, pro quibus mortem, mundum, peccatum, Satanam vicit, & vitam acquiſiuit.

Vir, ἀνὴρ. Virum dicit, fœminam non excludit. Eadem enim eſt ratio fœminæ ac viri apud Deum, qui non reſpicit perſonas hominum. Hiſtoriæ autem ſatis teſtantur Eccleſiam Deo plurimas virgines ac pias matronas peperiſſe, quæ crucem lætanter tolerarunt, & omni mortis timore, & huius vitæ amore poſito, pro fide Chriſti fortiter occubuerunt. Quæ afflictiones Chriſti animo virili ac infracto ſuſtinet, *vir* potius dicenda eſt, quàm mulier, quæ molli ac timido ſolet eſſe animo.

Qui ſuffert tentationem. Hoc eſt, qui fortiter patitur afflictionem, in quâ probatur, vt aurũ in fornace. Falluntur ergo, qui putant afflictos omnes aut malos eſſe, aut miſeros. Beati ſunt, ergo boni: beati ſunt, ergo nequaquam miſeri, niſi ſtultis, ac miſeris, qui ſenſu viuũt, nõ fide, qui ſibi viuunt, non Deo. Beatos dico eos, qui æquo animo ferunt aduerſa à Deo ſibi immiſſa, nec per eorum amaritudinem ſe ſubducunt, ſed conſtanter per fidem & obedientiam Deo adhærent.

Quoniam. Beatum prædicat, qui crucem tolerat, quia probatus fuerit & conſtans repertus, ſi per ignem tribulationis fuerit excoctus, & ſolidus in fide, ac fidelis in obſequio inuentus, coronâ æternæ vitæ decorabitur. Si hæres diuitis alicuius dicatur fœlix propter hæreditatem ſecularem, meritò fœlix dici poteſt, propter hæreditatem æternam, qui factus eſt hæres regni cœleſtis.

Pro-

Probatus. Hominem priùs probari oportet, quàm coronari. Si non mala tolerabis, de malis non triũphabis. Si coronam ſpineam nolis geſtare, coronam vitæ non poteris reportare. Nec qui examinatur, ſed qui examinatus, conſtans ac ſincerus inuenitur, is tantùm coronatur. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. 10. Nõ debet expectare bona, qui nõ didicit tolerare mala.

Accipiet coronam vitæ Quemadmodũ qui in agone legitimè certat, vel in ſtadio currit, vt victorẽ, vel victurũ decet, coronam ſeu brauium propoſitum reportat, ita ſi quis virtutis, pietatis & fidei curſum conſtanter tenuerit & conſummauerit, tentationes omnes per fidẽ ſuperans; ſi quis metalli in morem per ignẽ afflictionis probatus fuerit, ac fidelis perſtiterit & inuẽtus fuerit, is proculdubiò coronã æternę vitę accipiet, vt pręmiũ fidei & fortitudinis ſuę, quod Deus bonus promiſit, ac pro iuſtitiã ſuã reddet vnicuique, à quo amatur. Accipiet coronã, vt præmium ſibi debitum, non ex meritis propriis, ſed ex promiſſione Dei: non quia ille dignus eſt eo, ſed quia Deus dignatus eſt pręparare & promittere illud gratuitò. Iuſtitia autem requirit, vt promiſſa præſtẽtur, ac fides data ſeruetur. Vnde eſt, quæſo, quòd fidem, patientiã, prudentiã habeas? Annon à Deo? *Gratis datum eſt vobis* (inquit D. Paulus) *non ſolùm in Chriſtum credere, ſed etiam pro eo pati.* Quando igitur Deus remunerat fidẽ & patientiã noſtrã, remunerat munera ſua, non merita noſtra. Veritatem audire vis? Corona vitæ eſt Chariſma Dei per Ieſum Chriſtum, Dominum ac Saluatorem noſtrũ: quælibet etiã huius coronę gẽma eſt verum & merum Dei Chariſma per Ieſum Chriſtũ. Attamen ſicut hîc alius alium bene agẽdo ſuperat, ita in vitâ futurâ alius alium retributione tranſcendet: & quantò in hoc ſeculo perſecutionibus, paupertate, inimicorum potentiã, vel morborum crudelitate fuerimus afflicti: tantò poſt reſurrectionem in futuro maiora præmia (ſi aduerſa ea lætis ac gratis animis paſſi fuimus) conſtanter à Deo accipiemus, & in æternum poſſidebimus.

Aug. in Pſal. 109. Fidelis Deus, qui ſe nobis fecit debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, ſed tanta promittendo. Item in Pſal. 32. Vnde debitor? quia promiſſor eſt. hæc Aug. Corona vitæ debetur fidelib. propter iuſtitiã Chriſti ſibi gratis imputatam, ac promiſſionẽ diuinã gratis iiſdem factam. Phil. 1. 29. Multi ſeculares principes coronas ſuas acceperunt à Deo: ſed nõ per Ieſum Chriſtum: æternum fideles Domini dilectores ſuas accipiunt per merita Ieſu Chriſti.

Vitæ. Hoc eſt, vitæ cœleſtis, glorioſæ, ſeu ſempiternæ. Non dicit coronam, ſed *coronam vitæ.* Variæ fuerunt olim coronæ, vt triumphales, obſidionalis, ciuica, muralis, caſtrenſis, naualis, oualis, quæ omnes è materia corruptibili ac peritura fiebant, vt auro, gramine, fronde quernea, myrtea, laurea, oleagina, ilignea, ſiue rebus aliis corruptioni ac perditioni ſubiectis: cęterùm corona vitæ incorruptibilis eſt, & immarceſcibilis, ac æterna; nec perdi poteſt, nec corrumpi.

Principes coronas ſuas hæredibus & ſucceſſoribus ſuis relinquunt: corona verò vitæ induuntur & fruuntur pij in æternum. Hæredes & ſucceſſores nõ habent: ſed vita viuent ſempiterna. Imperium ſine fine dedit Chriſtus ſuis.

Accipiet is coronam vitæ, qui aduerſa fortiter pertulerit? Ne nos igitur malis ſuccumbamus: ſed tentationes omnes, quibus nos Deus noſter bonus exercet & probat, æquis ac lætis animis conſtanter toleremus. Longè ſuperat hęc corona coronas Regum. Hic enim nullæ ſunt curæ, nullæ iniuriæ, nulli doli, nullus aut metus, aut interitus: abeſt omnis ambitio, inuidia, & auaritia. Reddit hæc corona eos contentiſſimos, qui ea decorantur, ſummâ lætitia eos afficit, nec vnquam auferri poteſt. Accipiet, inquit, *coronam vitæ.* Vita duplex eſt: præſens & futura. Præſens vita vniuerſa, vita laborum eſt atque certaminum: futura in compenſationibus poſita eſt. Vita hæc patientiæ ac pœnitentiæ vita eſt: futura præmiorum. Nunc malis affligimur, tũc bonis coronabimur. Corona item duplex eſt, vna præſens, altera futura, quæ corona vitæ nuncupatur. Corona, quam hîc à Deo ſancti accipiunt, è ſpinis & tribulis afflictionum variarum cõtexitur. Crucem dicas potius, quàm coronam. Reprobi conſolationem ſuam omnem in hac vita recipiunt, in futura torquentur in gehenna: è contrariò premuntur & torquentur hîc pij, vt in futuro ſeculo Angelicam vitam viuant, affluentia rerum omnium inſtructam. Neque laborandum eſt, ſed omnino gaudendum, ſi hîc multiplicibus afflictionibus Deus nos exercuerit, quoniam patientiam noſtram compenſabit diademate cœleſtis gloriæ. In ædificatione *Templi* omnes lapides priùs malleis tundebantur & aptabantur, ne in illorum poſitione

ne ſonus malleiaudiretur: ita Deus, quos poſiturus eſt viuos lapides in cœleſti Hieruſalem, afflictionibus contundere, formare ac polire ſolet priùs, quàm in Templo illo glorioſo collocentur. Cæterùm quos hîc deprimit, illîc erigit: quos in terris caſtigat, in cœlis coronat.

Quam promiſit. Non homo mendax, ſed Deus fidelis & omnipotens, Monarcha mundi totius, Imperator omnium creaturarum, Rex, Redemptor ac Maritus Eccleſiæ Catholicæ, beatitudinis fons & author, coronæ vitæ concinnator ac cuſtos. Ne dubites igitur, qui tentationes toleras, ſed fideliter credas te coronam vitæ reportaturum: hanc enim tibi promiſit is, qui fidem datam ſeruat, nec vnquam fallit. Dominus, qui *virtus* eſt, ac *veritas*, promiſit: quæ promiſit, præſtare poteſt, quia *virtus* eſt: non poteſt non præſtare, quia *veritas* eſt.

Sed quibus promiſit coronam vitæ? *Iis* ſcilicet, *à quibus diligitur.* Diligis igitur Dominum, ſi aduerſa, quæ Dominus immittit, æquo animo feras. Nō dicit Apoſtolus, iis, à quibus mundus, voluptates, peccatum, honores diligūtur, ſed à quibus Dominus diligitur: multi tamen Dominum negligunt, & mundum ac mundana diligunt, ac amplexantur, obliti, vt videtur, tum Domini, tum coronæ, quam Dominus promiſit & dabit amatoribus ſuis. Nec dicit Apoſtolus, ijs, quos Dominus diligit, ſed ijs, qui Dominum diligunt, vt torporem affectus, & neglectum Dei nobis excutiat, ac amore erga Deum vehementiori nos inflammet, cúmque diligere alacriter, & indefinenter, nos efficiat. Pretioſa eſt corona vitæ, ſpecioſa præ coronis Principum, ac multò deſiderabilior: hæc promittitur ac certò dabitur diligentibus Dominum. Timendus & honorandus Deus eſt, quia Dominus, propter imperium: diligendus etiam eſt, quia bonus eſt; bonus in ſe, bonus etiam nobis. Amabilis eſt in ſe, ac proinde eum amare oportet: porrò honorat eos, qui ſe amant, corona vitæ,

Corona vitæ promittitur diligẽtibus, non paratur merito dilectionis, quæ eſt via regni, nõ cauſa regnandi. Deeſt (inquit Bernard.) gratiæ, quicquid meritis deputas. Ber. in Cant. ſer. 67.

igitur propter hoc prẽmiũ eũ amare debem⁹. Vis tu coronam accipere? velis etiam Dominũ diligere. Prẽmiũ cupis,& opus fugis? Corona datur amatoribus Dei,nõ oſoribus:amicis,non inimicis:hoſpitibus,nõ hoſtibus. Diligamus igitur Dominũ Deum noſtrũ, ei adhæreamus,ei obſequamur,in eo delectemur,in eũ tranſplantemur,ac trãsformemur,omnia deniq; aduerſa animis lætis & infractis feramus,vt dilectio noſtra,quâ Dominum proſequimur, vera ac ſincera eſſe manifeſtetur, fortior ſcilicet morte,ac rebus omnibus aduerſis. *Nihil enim eſt,quod non toleret,qui perfectè diligit.* Neſcit certè amare,qui neſcit aduerſa tolerare. Amor,ſi verus eſt,patiens eſt,aduerſis inſultat:ſi amor eſt, omnia vincit,omnia conculcat. Spurij ſunt,non filij, qui Deum Patrẽ flagellantẽ non amant,& ex amore placidè patiuntur. Solent nõnulli in proſperis Dominum diligere,in aduerſis autẽm deſerere:hi mundum diligunt,non Deũ: ventrem adorant, non Chriſtum. Amor autem mũdi eſt Dei odium & obliuio. Putas te Deum amare:bene eſt. Si Deum diligis, quid pro Deo facies,quid feres? Nec bona facere,nec mala ferre reſpuit,qui Deum ſincerè diligit. Nihil amantibus durum, nihil amarum, nihil graue, nullus labor difficilis: amemus ergo Dominum, & omnia ſuperabimus. Qui Deum amat,à Deo amatur. Qui Deum amat,Deum habet: Deus autem maior & melior eſt omnibus diuitijs mundi, præ quo vno cætera omnia ſordent. *Quum diligimus Deum, omnia in ipſo reperimus. Vnus eſt, qui quæritur, ſed in quo omnia continentur*, inquit Caſſiodorus: ipſum ergo diligamus,ipſum quæramus,in quo omnia habeamus.

nec.

Dabit Deus coronam vitæ omnibus iis,à quibus diligitur:pudeat nos igitur noſtri,ſi ab alijs nos diligi,ac alios diligere volumus. Deum verò nõ diligimus, qui maiora bona poteſt nobis dare,quàm quæ vel alij nobis,vel nos aliis dare poſſumus. Quis,niſi Deus,poterit coronam æternæ vitæ dare? Quis eam poteſt promittere,niſi cuius eſt parare,ac dare? Promittit, eam,qui dabit:

dabit: dabit, qui promisit: promisit, qui parauit Deus, Deus Optimus, Maximus. Si autem Deus coronam vitæ ijs, à quibus amatur, dabit, secularia ac caduca certò iisdem dabit, si commoda fuerint. Dabit panem, qui promittit coronam: minora dabit, qui maiora largitur. Deus illiberalis aut parcus non est: sed quæ suis prosint, concedit ac erogat. Si autem aduersa iis acciderint, si cibus, potus, vestes &c. ijs defuerint, interea tamen beati sunt, quia eorum est, & erit, corona æternæ vitæ. *Nouimus autem, ijs, qui diligunt Deum, omnia* (etiam afflictiones grauissimas) *simul adiumento esse ad bonum.* Omnia eorum sunt: *omnia vestra sunt*, inquit Apostolus: omnia igitur iis inseruire, ac συνεργεῖν ad bonum cẽuenit. Rom. 8. 28. 1. Cor. 3.

Quod superest autem, gratias agamus Domino Deo nostro, qui charitatem nostram pectoribus nostris & gratis indidit, & gratis remunerabit. Sunt Dei dona, & charitas tua, & corona.

Vers. 13.

Nemo, quum tentatur, dicat, à Deo tentor. Deus enim nec tentari malis potest, nec quemquam tentat.

HOc est, nemo præsumat dicere, quũ ad peccandũ solicitatur, *A Deo solicitor.* Deus enim malum non appetit, malo non delectatur, neq; capitur, nec quemquã, vt peccet, solicitat, exhortatur aut efficit. Tentatio quidẽ *probationis* à Deo est: tentatio verò *seductionis*, vel ad peccatum sollicitatio, à Deo non est effectiuè, sed à diabolo, ac carne propriâ. Deus enim est essentialiter at summè bonus. Peccata prohibet ac punit: illius autẽ rei, cuius est vltor, planè non est author: peccata, quæ punit: non facit: neque verisimile est, vt per quem à peccatis surgitur, per eundem in talia decidatur. Indurare dicitur Deus, non immittendo duritiem, sed non impertiendo misericordiam. Causa semper iusta est, licet occulta esse possit. Indurat Deus quem non emol-

lit. Durities est culpa hominis, induratio verò iudicium Dei, qui deserentem se deserit. Ad eundem modum tradere dicitur, cùm delinquentes non retinet, à cura sua illos meritò excidere finens. Quod, cùm accidit, à Satana comprehenduntur. Dicitur itidem inducere in tentationem, cùm hominem non cõseruat ac liberat, sed sibi ipsi, ac cacodæmoni relinquit. Firmissimè credo Deum neminem tentare aut inclinare ad malum *physicè*, id est, immediatè mouendo voluntatem ad actum; nec *moraliter*, id est, imperando, vel consulendo, vt actus fiat: sed *occasionaliter*, homini scilicet obiecta per se bona proponendo, vel honesta ac vtilia præcipiendo, vel cogitationem bonam immittendo, vnde homo ex vitio suo malus occasionaliter inclinat se ad malum. Psal. 105. 25. *Conuertit cor eorum, vt odio persequerentur populum eius.* Quod fecit Deus, non peruertendo corda Ægyptiorum, sed benefaciendo populo suo: quod videntes & cogitantes Ægyptij, maioris odij occasionem acceperunt, more inuidorum, qui dolore ac odio ex alienis commodis commouentur. Sic *Augustin.* ac *Theodoret.* Firmissime credo non esse malum in ciuitate, quod non facit Deus, hoc est, *malum pœnæ*, vt sunt morbi grassantes, fames, annonæ caritas, bellum, incendia, & eiusmodi mala, quæ peccatores patiũtur, vel vt corrigantur, vel vt consumantur. Firmissimè itẽ credo non esse malum in ciuitate, quod facit Deus, hoc est, *malum culpæ*, vt adulterium, parricidium, regicidium, homicidium, & id genus innumera, quæ Deus bonus & iustus prohibet, abominatur ac punit. Si quẽ igitur molestia afflictionum â pietate abducit, si quis in aduersis pusillanimitatem & impatientiam prodit, ne Deum accuset. Hic enim nemini causa est peccandi; neminem ad impatientiam sollicitat, nullius lapsibus delectatur, peccatum nullum appetit: causa igitur lapsuum nostrorum in Deum nequaquam referenda aut transferenda est, cùm ipse etiam latis legibus contraria fieri mandârit.

Vnde

Vnde igitur est, quod ad peccandum sollicitemur, & delinquamus, ac lapsibus contaminemur? Ostendit Apost. verbis sequentibus.

Vers. 14. 15.

Sed vnusquisque tentatur, dum à suâ concupiscentiâ abstrahitur, & inescatur. Deinde concupiscentia, postea quàm concepit, parit peccatum: peccatum verò perfectum gignit mortem.

OStendit hîc beatus Iacobus generationem, conceptionem, partum, progressum ac perfectionem peccati. Ac si diceret, A Deo non est, quòd impellitur aut inclinatur homo ad malè agendum, sed vnusquisque solicitatur, idque efficaciter, ita vt peccato polluatur, cùm à suâ vitiositate à recto & bono abducitur, ac illecebris peccati inescatur, illaqueatur & capitur. Mox vbi corruptio hæc natiua voluntatem ac affectum occupauit, & delectationem ad cõsensum vsque, ac propositum malè agendi perduxit, tunc fœtum suum mõstrosum & horrendum in corde cõceptum, peccatum scilicet, enititur ac edit, quod, vbi adoleuerit ac ad perfectionem perductum fuerit, mortem infert, ac peccatorem occidit.

A concupiscentiâ suâ. Per concupiscentiam intelligit *natiuam corruptionem*, quæ concupiscit aduersus legem Dei. Hæc peccatum est, quia inest illi inobedientia aduersus dominatum mentis, seu legem ac imperium Spiritus. Hæc mater est ac nutrix omniũ peccatorum quæ committuntur.

Concupiscentia triplex est, naturalis, supernaturalis, vitiosa: hęc autem prima est, vel à primâ orta.

Abstrahitur. Ponuntur hîc quinque tentationis gradus.

Primus dicitur *abstractio*, quãdo homo à cõcupiscentiâ suâ rapitur extra viam diuinæ legis, ac ab officio suo, ad aliena pertrahitur. Mala igitur ac morte digna est *concupiscentia*, quæ nos miseros à Deo abducit, ac ad mala flectit & impellit. Concupiscentia ista originalis

Primus gradus tentationis.

est vitiositas cum iustitiâ originali pugnans, ac à vero tramite peccatores abducens: est igitur peccatum *actuosum* seu *agens*, licèt non sit actuale. Eam igitur mortificemus quotidie, ac spiritum foueamus, qui concupiscit aduersus eam in renatis, Gal. 5. 17.

Secundus gradus.

Secundus appellatur *inescatio*, metaphorâ sumptâ à piscibus, qui escâ ex hamo pendente sese oblectantes incauti capiuntur. Ad eundem modum inescatur homines illecebris quibusdam à concupiscentiâ suâ, quę eos in magna & multiplicia peccata rapit, dum oblatam sibi voluptatem, bonúmque solùm apparens persequuntur. Diabolus piscator est, homo piscis, mundus piscina, peccatum hamus, bona falsa escæ & illecebræ illæ sunt, quibus deceptus capitur. Peccatum prostibulum est, prostibulum inquam morbidum, fœtidum, contagiosum, & mortiferum: nullis eius blandimentis, nullis lenociniis, nullis coloribus adulterinis decipiamur. Peccatum caueamus quasi colubrum, pestem, & venenum.

Tertius gradus.

Tertius vocatur *conceptio*. Concupiscentia autē concipit, quando accedit voluntas, consensus & propositum de malo perpetrando. Consensus iste in reprobis & improbis, in quibus peccatum regnat, plenus est: sed in renatis plenus non est: sunt enim hi sic volentes vt nolint, & sic nolentes vt velint.

Quartus gradus.

Quartus nuncupatur *fœtificatio* siue *partus*, quando nimirum concupiscentia peccatum, quod conceperat, parit & in actum educit. Concupiscentia actionum malarum mater est, atque tantis viribus instructa, vt per se sola potest peccatum gignere & concipere sine ope patris, ac peccatum iam conceptum parere & emittere, obstetrice nullâ mediante, vel opem ferente. Si nec esset Diabolus, nec homo, qui tibi malum consilium daret, sufficeret tamen concupiscentia tua sola te ab officio tuo pertrahere, & transuersum rapere extra legis diuinæ tramitem, atque in tremenda scelera protrudere, si Deus permiserit. Intus, in cute, in corde, tuo.

tuo eſt peccatorum omnium mater & radix: ne igitur Deum, aut creaturas eius accuſes, ſi peccaueris, ſed peccata tua omnia tibi ipſi imputes. *Non fatum, non fortuna, non ſtella, nec aliquid aliud, ſed ego Dauid peccaui tibi.* Licet autem diabolus *tentator* ſit, & appelletur, nihil tamen te contra tuam voluntatem cogere poteſt: & ideò noli accuſare diabolum, ſed accuſa te ipſum, carnem tuã, hoc eſt, corruptionem tuam accuſa, plange, mortifica. Corruptio tua peior & pernicioſior eſt ipſo diabolo. Diaboli Angelica natura per ſe bona eſt, à Deo eſt: at ipſa natura concupiſcentiæ mala eſt, à diabolo eſt, vt eſt diabolus ac tentator improbus & reprobus. Diabolus eſt hoſtis extraneus, concupiſcentia intra nos eſt, & habitat: hæc, radix & principium omnium actualiũ peccatorum, in ipſo corde ineſt ac manet. Tollitur enim in renatis, non vt non ſit: ſed vt non imputetur, nec eorum ſaluti obſit. In piis ineſt, non præeſt: viuit, non viret: pugnat, non ſuperat: non dominatur, ſed tamen non deeſt. Aiunt hominẽ & ſolem generare hominem: ita certè concupiſcentia & cacodæmon peccatores faciunt, peccata procreant. Homo quidem ſine ſole non poteſt generare hominem, neque ſol ſine homine, imò neque homo ſine homine, hoc eſt mas ſine fœminâ, neque hæc ſine illo: verùm concupiſcentia ſola, nullo alio auxiliante aut ſimul agente, poteſt peccatum gignere, & peccatorem in peccata multa & magna abſtrahere. Hæc ea eſt quæ legi ſubiici nec vult, nec poteſt. Homo malus emendari poteſt, & fieri bonus: malitia verò bona fieri non poteſt: minui poteſt, emendari non poteſt. Poteſt tolli, non poteſt corrigi. Vulnerari & vinci poteſt, concupiſcentia reconciliari & inimicitiam ponere non poteſt: ei igitur fortiter reſiſtamus, eam cum omnibus ſuis filiabus ac fructibus odio proſequamur, & extinguere ſtudeamus. Homo verè homo eſt ante partum, dum eſt in vtero matris: eſt homo generatus & conceptus, non natus: ita peccatum, quod fœtus proprius eſt concupiſcentiæ, in i-

Venerab. Bed. Matth. 4. h

Roma. 8.

pso (vt ita dicam) vtero concupiscentiæ verè est peccatum, veram habet peccati naturam ante ortum suum; hoc est, transgressio legis diuinæ est, quæ puritatem & perfectionem summam, tam internam, quàm externam exigit: & est transgressio lethalis in se: Rom. 6. 23. stipendium enim peccati mors est. Peccatum inquam est quod eius generationem & conceptionem, etsi nondum concupiscentia fœtum suum peperit & in lucem edidit, aut in actum eduxit. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram: beatus, qui occidet eos, dum sunt in matrice: beatus qui conceptionem eorum impedit: beatus, qui se ab officio suo ad aliena pertrahi non permittit: beatus ille est, qui constanter militat aduersum concupiscentiam suam & 1. Pet. 2. 11. omnes carnales cupiditates, quæ militant aduersus animam, internam & æternam animæ confusionem operantes.

Quintus gradus. Quintus tentationis gradus est *perfectio* peccati, quando nimirum peccatum frequēti iteratione consummatum exit quasi in habitum, & in homine regnat ac dominatur, vt princeps, aut dominus aliquis imperiosus. Gradus iste reliquorum pessimus est, & maximè cauendus. Nam in quo peccatum consummatur, in eo Spiritus Sanctus non commoratur. Non seruit Deo, qui paret peccato: &, vt docet Apostolus, *peccatum, cùm perficitur, gignit mortem,* ἀποκύει θάνατον. Concupiscentia gignit & parit peccatum: peccatum autem gignit & parit mortem. Ipsa concupiscentia in se mortale peccatum est: omnes item cupiditates & actiones carnales ex eâ promanātes peccata sunt mortalia: ea verò peccata, quæ in peccatore consummantur & regnant, duplici nomine mortalia sunt, tum quia peccata sunt, tum quia dominantur. Peccatum est mortale: imperium etiam peccati mortiferum est. Dignus est homo morte, quia peccat: at pœnam grauiorem meretur, qui peccato seruit, & ei perficiendæ incumbit. Vbi peccatum perficitur, peccator

cator viuit mortuus in peccato, eo obrutus & ſepultus: anima eius mortua eſt, ſeparata à Deo, qui eſt vera vita animæ: Chriſtum in ſe non habet, nec ſpem vitæ æternæ, quę electos ſolos & pios manet: ſed horrenda quædam expectatio iudicij, & ignis inextinguibilis ei relinquitur, quæ, niſi Deus pœnitentiam ei ſinceram & maturam dederit, impoſſibile ei fuerit euitare. Ita induruit & occalluit ei cor, in quo peccatum conſummatur, vt pœnitentiam agere, & auxilium diuinum implorare non poſſit: ac proinde nouus ſpiritus, noua vita, nouum cor ei à Deo dandum eſt, aut pereundum eſt in æternum. Sibi ipſi enim mederi, ſibi ſuccurrere, ſe liberare nec poteſt, nec vult. Deus autem, qui promiſit pœnitenti veniam, non promiſit peccanti pœnitentiam. Aug.

Precemur igitur & vigilemus, atque omnibus modis & mediis nobis caueamus. Si concupiſcentia noſtra conceepit peccatum, pœnitentiâ veloci, veluti abortiuo medicamento, deſtruamus. Imò ei noli conſentire, ne permittas eam te ab officio tuo abſtrahere, noga te illi, noli eam ſequi, contemne blandiloquentiam eius & illecebras omnes: venefica, & meretrix eſt laſciua, immunda, fallax, alienat te à Deo, à te. Si te tranſuerſum egit, & à recto abduxit, actutùm redi. Si te eſcis & illectamentis ſuis te incautum cepit & decepit, reſipiſce citò. Si fœtum ſuum deformem & turpem, parenti omninò ſimilem, peperit, ſtatim allide ad ſaxum: ne ſinas vt creſcat, ſed iam paruulum interfice. Gehennam metuis? metue peccatum. Mortem animæ tuæ ſpiritualem times? time incrementa & perfectionem peccati: vigila, ora, ſtude, & labora, ne peccatum iteres, & frequenti iteratione tibi familiare & gratum facias. Ne regnet in tè concupiſcentia tua, ne perficiatur in te peccatum. Conſummatio peccati eſt confuſio peccatoris. *Quatuor modis peccatum conſummatur in opere. Prius namque latens culpa* Greg. Moral. lib. 4. c. 27.

agitur: postmodùm verò ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: dehinc & in consuetudinem ducitur: ad extremum verò vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Istis fomitibus (inquit Isidorus) *quasi quibusdam gradibus conalescit omne peccatum: cogitatio namque prava delectationem parit: delectatio consensionem: consensio actionem: actio consuetudinem: consuetudo necessitatem: sicque his vinculis homo implicatus quadam catenâ vitiorum tenetur constrictus.* Isid. de sum. bono. lib. 2.

Fugiamus consortia malorum. Nam corrumpunt bonos mores congressus mali.

—sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & porrigine porci,
Vnáque conspectâ liuorem ducit ab vnâ. Iuue li. 1. Sat. 2.

Grauissimum est imperium consuetudinis, caueamus igitur nobis à peccandi consuetudine. *Consuetudo* enim *peccandi tollit sensum peccati*, & maleficij remouet dubitationem. Assidua malè agendi consuetudo vitiũ in naturam conuertit. Animus autem peccatis addictus vix ab eis diuelli potest. Quamuis enim ingentia & horrenda fuerint, quum tamen in consuetudinem venerint, aut parua esse, aut nulla credũtur: vsque adeò vt non solùm non damnanda & celanda, verùm etiam defendenda & prædicanda videantur. Quæ ante consuetudinem grauia & detestanda videbãtur, post consuetudinem leuia, atq; adeò amabilia videntur. Vilescit peccatum consuetudine, & quasi nullum reputatur. Dolorem iam perdidit peccator, & obduratus est, vt incus. Dolet potiùs sibi vires deesse, vel opportunitatem peccandi. Quomodo nunc poterit pœnitentiam agere? *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Homines assueti & astricti suis peccatis, peccando gaudent, peccando discunt peccare, pœnitentiam ne per somnium quidem agunt: hanc in senectutem vel in horam mortis reiiciunt & protelant, vel eius semper immemores, & penitus obliti, securè stertunt, & ac pro duritiâ suâ, & corde, quod resipiscere Aug. Tull. Ierem. 13. 23.

nescit,

neſcit, theſaurizant ſibi ipſis iram in diem iræ & patefactionem iuſti iudicij Dei. Facilè poteſt homo hominem occidere, ſed difficile eſt interficere cupiditates carnis, & peccatis ſuis mori. Ac planè impoſſibile eſt homini peccatis dedito & per conſuetudinem aſtricto, ea repellere ac mortificare, niſi Deus mentem & affectus eius mutauerit, & Spiritum ſuum ſanctum indiderit. Reſiſtamus igitur peccatis noſtris in ipſorum partu, interficiamus hoſtes iſtos animæ, dum paruuli ſunt, & infirmi. Bene dediſcamus, quę malè didicimus. Peccare deſinamus, Bene agere incipiamus: obliuiſcamur peccare in Deum, recordemur reuerti ad Deum. Reſcindamus, reiiciamus omnes prauas conſuetudines, quibus anima premitur, nec reſurgere, nec reſpirare permittitur. In iuuentute, in adoleſcentiâ noſtrâ aſſueſcamus bono, ceruices noſtras iugo legis diuinæ ſubiiciamus, applicemus. Qui enim non aſſueſcit virtutibus, dum iuueneſcit, à vitiis neſcit diſcedere, quando ſeneſcit. Et contrà, quod in pueritia vel iuuentute addiſcitur, in maturâ ætate ſeruatur. Quo ſemel imbuta recens eſt, ſeruabit odorem teſta diu. Vſus ſiue bonus ſit, ſiue malus, vix aboletur. *Conſuetudo* quaſi *ſecunda eſt natura.* Naturam autem licet expellas furcâ, tamen ipſa recurret.

Atque hoc argumentum ſecundum eſt, quo probat Apoſtolus Deum neminem ad peccandum ſollicitare: quia eiuſmodi ſollicitationes ſunt à concupiſcentiâ, quę ſcaturigo, mare, & ſentina eſt, vnde omnes prauæ cupiditates, ac peccata, oriuntur & emanant.

Verſ. 16.

Ne erretis fratres mei dilecti.

DE concupiſcentiâ & tentationis gradibus diximus: è contrario Deus ſuis nouum ſpiritum, ſiue nouam naturam carni & corruptioni natiuæ contra-

riam infundit,à quâ(cooperante Spiritu Sancto)ad bonum trahimur, ineſcamur & capimur ad ſalutem noſtram,non ad perditionem: quæ vbi concepit ope diuinâ, parit opus bonum, quod frequenti iteratione in habitum exit, ac tandem vitâ æternâ compenſatur. Cogitatio bona parit delectationem, delectatio conſenſionem,conſenſio actionem,actio conſuetudinem, conſuetudo gratioſam quandam neceſſitatem, ſicque his vinculis ſpiritualibus pius à Deo implicatus, aureâ quadam catenâ virtutum tenetur aſtrictus,non tamen coactè,ſed voluntate ſuâ à Deo ſanctificatâ & directâ.Sed Apoſtoli verba diſcutiamus.

Ne erretis. Rurſus hortatur ne putent Deum homines ad malè agendum ſolicitare. Errant, decipiuntur, qui ita de Deo iudicant: blaſphemant, qui ita dicunt. Ex abundantiâ cordis os loquitur: qui igitur vult de Deo recta loqui, de Deo debet rectè ſentire. Lingua peruerſa loquitur, vbi iudicium loquentis corrumpitur. Si Doctor aliquis eruditionis nomine clariſſimus, ſi vel Angelus dixerit à Deo homines ad peccandum tentari, *Anathema ſit.*

Error doctoris eſt tentatio diſcipulorum. Doctor tuus honorandus eſt in Deo,non aduerſus Deum.Honorandus eſt vt pater,ſed ei pręponendus eſt Creator. Doctrinam eius recipias, errores verò ne imbibas,ſed fugias. Amicus, gratus tibi ſit Doctor tuus eruditus ac pius:ſed magis amica, magis tibi grata ſit veritas Dei, & pietas. Doctor ipſe,ſi errat,docendus eſt,cauendus eſt:ſi veritatem prædicat,audiẽdus. Aures tuas ne prębeas Doctori tuo contra Catholicam Eccleſiæ doctrinam ſcribenti, vel prædicanti. Sincerę pietatis eſt, nunquam erranti obſequium accommodare.

Fratres mei dilecti. Libenter eos audimus,de quorum beneuolentia & amore non dubitamus:ideóque Apoſtolus,vt doctrinam hanc ſuam de ſanctitate Dei faciliùs ac libentiùs recipiant, compellatione fraterna, & amoris ſui erga eos ſignificatione,eorum animos prę-

parare

parare ſtudet. Solent hæretici ſpecioſis verbis vti, & charitatem ſuam auditoribus & diſcipulis ſuis variis compellandi formis ſignificare. Verùm Domino noſtro Ieſu Chriſto non ſeruiunt: ſed per blandiloquentiam & εὐλογίας ſuas decipiunt corda ſimplicium. Neque homines verè diligere putandum eſt, niſi veritatem ipſam priùs dilexerint. Verè amat hominem, qui verè amat veritatem, & hominem amat in via veritatis.

Ex ſententiâ igitur Spiritus Sancti, cuius amanuenſis erat Iacobus, errant ij omnes, quanticũque fuerint, qui Deũ homines ad malè agendũ tentare, & peccati cauſam eſſe arbitrantur. *Deus non volens iniquitatem es tu,* inquit Scriptura. Dic, amabo, quæ foret iuſtitia, ſumere Deum pœnas de peccatoribus, ſi ab ipſo ad peccãdum ſolicitati, & impulſi fuerint. Quamuis autẽ Deus non ſit peccati author, quodcunque tamen peccatum perpetratur, non fortuito caſu abſque prouidentiâ accidit, ſed iudicio Dei. Nec fit aliquid vel mali, vel boni, niſi Deus fieri vel ſinat, nec coactè, vel ipſe faciat. Rectè D. Auguſtinus: *Intelligendum eſt omnia vel adiuuante Domino perfici, vel deſerente permitti, vt intelligas tamen nolente Deo nihil prorſus admitti.* Rurſus, *Non fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo.*

Pſal. 5.5.

Aug. de prædeſt. & grat. c. 15.

Enchir. c. 95.

Verſ. 17.

Omnis donatio bona, & omne donum perfectum eſt ſurſum, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, aut conuerſionis obumbratio.

HOc aliud argumentum eſt, quo probatur homines à Deo ad peccandum non tentari, quia nimirum Deus fons & author eſt omnium bonorũ ac donorum naturæ, gratiæ, & gloriæ. Sol fons eſt lucis, non tenebrarum: ex eodem porrò fonte non fluit aqua dul-

cis,& amara quoque. Deus est author bonorum omnium,ergo peccati non est causa. Bona Deus suggerit, nõ mala:virtus ei placet,vitia odit,punit.Deus immutabiliter bonus est:perennis fons est bonorum, peccati proinde non potest esse author. *Cælum & terra præteribunt*:cœli peribunt:sicut vestimentum veterascent,& sicut operторium mutabuntur: conflagrantes soluentur,cum stridore & impetu, veluti sibilantis procellæ, præteribunt:sol obscurabitur,nec dabit luna splendorem suum,& potestates cœlorum concutientur: creaturæ sunt,& mutari possunt à Creatore suo.Deus verò non mutatur,sed immutabilis permanet. *Tu idẽ ipse es, & anni tui non deficient.* Ab æterno in æternum viuit,& cõstantissimus est bonorum author,& malorum vltor accerrimus.Ignis causa caloris est,nõ frigoris:ignis verò aqua potest extingui:imò & elemẽta omnia æstuãtia liquescent:at Deus,qui sapientię,fidei,& charitatis, quæ cor illuminant & inflammant luce ac calore verè cœlesti & salutari,fons est inexhaustus,& author certus,sui semper similis,neque morti,neque mutationi obnoxius.Sol interdiu videri potest,noctu verò latet: sed Deus diu,noctúque suis adest,inest,præest.Sol pro varia & multiplici conuersione lucem & noctem diuidit,horas,dies,menses & annum efficit,nunc hanc regionem illuminat,& nobis videtur,mox aliã visitabit, aliis apparebit.Atqui Deus vbique est,& vbique totus est:in parte non est,quoniam vbique totus est.Præsens totus est vbique,semel simul & semper:*éstque*(vt Greg. ait)*inferior & superior sine loco, est amplus sine latitudine, est subtilis, sine extenuatione, & qui per molem corporis nusquam est,per incircunscriptam substantiam suam nusquam deest*.Sol lucem & calorem ministrat,non quibus ipse vult Sol, sed quibus vult Deus,Solis fabricator. Vellé Dei est, subseruire & obsequi voluntati diuinæ Solis est.Atqui Deus dona sua,vt libet,confert: gratiam suam impertit,quibus ipse vult. Homo nonnunquam inuitus priuatur Sole:nemo verò Deum amittit,nisi qui dimittit:

Matt.24 35. Psal.101. 2.Pet.3. Matth.24.

Mal.3 6. Psal.101.

2.Pet.3.

fidem

fidem & charitatem, quæ lumina glorioſa ſunt, & Dei dona, nemo tibi poteſt eripere, ſi nolis, nemo poteſt ſurripere, ſi non ſinas. Si iam videdi facultate præditus ſis, poteſt tibi Sol lumẽ exhibere, vt actu videas: ſi verò cæcus fueris, Sol tibi non poteſt videndi facultatem reſtituere: potes etiam, ſi placet, vel oculos claudere, vel faciem auertere, ne videas. Atqui Deus, pater luminum & bonorũ omnium ſpititualiũ, & cœleſtium, Sol Solis, & ſummus architectus mundi, poteſt tibi & lumen præbere, & oculum dare, eíque viſum infundere: cæcitatem tuam & peruerſitatem omnem tibi poteſt adimere, facilè poteſt te ad ſemet ipſum conuertere, & non magis fortiter, quàm ſuauiter inclinare, & molliter flectere, vt quæras faciem eius, ac in ea delectêris.

Expediam paucis, quæ hinc diſcere docemur.

1. *Omnia dona bona, & vera, ſuperne eſſe*, id eſt, à Deo, non à nobis ipſis. Sãctificemus igitur Deum in cordibus noſtris: ne putemus peccata noſtra diuinitùs eſſe: ex eodem fonte virtutes & vitia proculdubiò nõ promanant. Porrò, ſi bonus eſſe velis, vel ſi donis bonis, & præclaris virtutũ habitibus indui ac inſtrui cupias, ad Deum te conferas, ab eo petas, quę habere deſideras: is bonorum omniũ fons eſt ſemper ſcaturiẽs. Quæcunq; autẽ bona habemus, ei accepta feramus, & laudes eius prædicemus. Ne nobis ipſis aſcribamus, nedũ inſoleſcamus, aut fratribus noſtris inſultemus. *Quis enim te ab alijs diſcernit? Quid autem habes, quod non receperis? Quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris, quaſi non receperis?* 1.Cor.4.7. Qui de donis Dei ſibi ipſis gloriam quęrunt, & nõ quęrunt Deo gloriam, hi fures ſunt, & ſimiles diabolo, qui voluit furari gloriam Dei. Qui laudari cupiunt de bonis ac beneficiis diuinis, & non quærũt in illis laudem Dei, ſed propriam: etiamſi laudentur ab hominibus, à Deo tamen vituperantur. Qui autem laudantur ab hominibus vituperante Deo, non defendentur ab hominibus, iudicante Deo. Honorare Dominum diuitiis no- Pro.3.9.

ſtris debemus. Opibus,oblationibus,decimis noſtris Dominum honorare conuenit? Omnino. Nos ipſi, & bona ac dona noſtra omnia, Dei ſumus,à Deo pendemus:Deum ergo nobis noſtríſque omnibus bonis honoremus: nos noſtráque dona omnia Deo dicemus. Cùm autem Deus fons ſit & dator bonorum omnium, qui liberrimè,cuicunque vult,dona ſua tribuit, fratribus noſtris,à quibus ipſi ſuperamur donis,vel naturalibus vel ſupernaturalibus, ne inuideamus. Licet Deo, quod vult,facere in rebus ſuis. Ne igitur inuideamus illis benignitatem Domini, oculi noſtri ne ſint mali, quia Dominus bonus eſt. Dolus planè & irrectitudo cordis inuidię fons eſt.Quemadmodum enim columna,ſi recta fuerit,accepto pondere ampliùs confirmatur: ſi autem modicè obliquata fuerit, non ſolùm non confirmatur, ſed ampliùs incuruatur: ſic & cor hominis,ſi fuerit rectum,videns opera viri iuſti,audiens doctrinam ſapientiæ eius,& perpendens ſecum dona illa eximia,quibus excellit,ampliùs confirmatur in charitate erga illum,& gratitudine erga Deum: ſed ſi cor peruerſum fuerit,non ſolùm non cõfirmatur, ſed magis peruertitur,& magis ad inuidiam excitatur. Quod ſanè vitium eſt diabolicum:*nõ enim*(inquit D.Auguſt.) *diabolo dicitur,vt damnetur, Adulterium commiſiſti,furtum feciſti,villam alienam rapuiſti:ſed homini ſtanti inuidiſti.* Memento Chriſtiane,Bona fratris tui ſunt dona Dei: hæc ei neque inuideas,neque in eo aut extinguere,aut minuere quæras. Denique, quia à Deo eſt omne donum bonum & ſincerum,non ergo quærenda ſunt bona in concionibus,ſacramẽtis,lectionibus, meditationibus, & ſtudiis noſtris,veluti in proprio eorum fonte & origine,ſed tanquam in medijs quibuſdam, ſiue tubis & organis,à Deo deſtinatis, per quæ bona ſua nobis miniſtrat, & in nobis operatur. Sed omnia hæc efficit vnus & idem Dei Spiritus Sanctus, diſtribuens vnicuique priuatim, ſicut vult. Erigam⁹ igitur oculos noſtros ad Deum, vnde veniunt bona: hunc ſuppliciter oremus,

D.Chryſoſt. ſimil.habet alicubi.

mus, vt dicta media nobis vtilia reddat per gratiam & benedictionem ſuam.

2. *Bona quæ nobis inſunt & inhærent, non merita, ſed dona vocantur* ab Apoſtolo. Gratis, gratuitò nobis dantur, vt munera: non autem redduntur, vt debita. Quando igitur Deus hæc remunerat, non remunerat merita noſtra, ſed munera ſua. Nam bona noſtra ſunt beneficia diuina. Opera etiam bona, quæ facimus, Deum authorem habent, qui & voluntatem noſtram applicat operi, & opus applicat voluntati. Vt enim Apoſtolus ait, *Deus is eſt, qui efficit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis, pro gratuitâ ſuâ beneuolentiâ.* Phil. 2. 13.

3. *Deus eſt Pater*, id eſt, fons & author *luminum*, hoc eſt, omnis veri & boni: vel, omnium bonorum donorum. Deus ipſe lux eſt, & lucis author, ergo peccatorum & ſcelerũ, quæ tenebræ ſunt, non poteſt eſſe cauſa. Deinde, qui lucem amat, Deum, qui lux eſt ſemper ſplendens, ex corde diligat, & ſequatur. Porrò, bona Dei dona amemus, cuſtodiamus, iis nos oblectemus: lumina enim ſunt, cœlitùs ſunt, lumina ſunt à Deo creata & accenſa. *Deſcendere* hæc bona lumina, & luminoſa dona à Deo dicuntur: non quòd Deus non ſit, vbique totus, ſed vt ſciamus ea non eſſe prouentus terræ, ſeu fœtus aut fructus cordis noſtri, qui naturâ ſumus mortui in lapſibus & peccatis, atque tenebris oppleti. Denique, merum non eſt lucifugas, & tenebriones omnes, Deum fugere & bona Dei dona prętерire, ac ab eis oculos ſuos auertere. Iſti enim, vt noctuæ, lucem fugiunt, tenebras amant, tenebris delectantur. Deus lux eſt: qui amant tenebras, id eſt, peccata & praua cupiditates, Deum fugiunt, & Dei dona, quę lumina ſunt, fugiunt, contemnunt & auerſantur. Hinc etiã eſt, quòd bonos fugiunt & odio proſequuntur, quia lumina ſunt, & quaſi *ſtellæ* quædam in Eccleſia fixæ, non pictæ, ſed *veræ*, veram lucem emittentes.

4. *Apud Deum non eſt tranſmutatio*, aut conuerſionis obumbratio. Deus Sol eſt ſemper lucidus, puriſſima

lux est & immutabiliter bonus. Eclipsin & mutationem nunquam patitur, caligine nunquam obscuratur, sed idem in æternum manet. Si quid igitur lucis in nobis habemus, Deo ascribamus, & gratias agamus. Si quid lucis cupimus, à Deo petamus. Nam sicut mundus hic sublunaris à Sole illuminatur, ita totam nostram spiritualem lucem, ac omnia nostra lumina recipimus à Deo immutabili, qui *Sol* est Ecclesiæ suæ, semper illustris, semper splendens, sine quo cætera omnia luminaria tenebræ sunt, nihil sunt. Nos homines conuertibiles sumus, vmbræ sumus, mortales sumus: ne nobis ipsis igitur fidamus, sed Deo. Homines vanitas sunt, *vermes* sunt: filij hominum vanitas sunt, & *vermes*: nec mirum, si vermis vermem, vanitas vanitatem generet. Atqui Deus *veritas* est, constantia est, est splendor nunquam deficiens, vita indefessa non moriens, fons semper scaturiens. Hunc semper quæramus, semper sequamur: huic semper appropinquemus, semper adhærescamus, semper credamus & acquiescamus. Denique ne putemus peccata, quæ tenebræ sunt, posse à Deo venire, qui immutabilis lux est, & æterna *Bonitas*. Non descendunt certè à Patre luminum, apud quem non est transmutatio: sed ascendunt ac proficiscuntur à diabolo patre tenebrarum, qui versi pellis, versutus, & incertus est; veterator certus, Angelum bonum referens, quando sibi placet, versicolor, fallax, & malitiosus totus, ac malitiæ deditus in æternum. Deum igitur iustificemus, & nosmet ipsos accusemus, qui Diabolo non resistimus, qui nobis laqueos tendit, lapsus parat, & ruinam meditatur.

Iob 25.6.

Vers. 18.

Is quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, vt essemus primitiæ quædam suarum creaturarum.

Hoc

HOc postremum argumentum est, quo Apostolus probat nos à Deo ad malè agendum nequaquam solicitari, quia nimirum regenerationis nostræ fons est & author, qui nos Euangelij sui ministerio progenuit, vt essemus ei quasi sacra quædam oblatio ex reliquo hominum aceruo collecta, Deus pater noster cœlestis est: nos homines miselli, filij eius sumus in Christo gratia adoptionis. Beneuolentia Dei causa originalis est regenerationis nostræ; eius dignatio, non dignitas nostra, quæ nulla fuit: Euangelium pacis, Dei veri verus sermo; Organon illud cœleste est, quo nos per Ministros suos sibi progignit: finis, ob quem nos progenuit, est, vt scilicet ei essemus sacra & selecta quædam oblatio, populus peculiaris, hæreditas propria, in quibus glorificetur. Deo ergo soli seruiamus, non ventri nostro, non Mammonæ, non mundo, non nobis ipsis, nec idolis nostris. Dei sacrificium sumus, ei nos offeramus ipsos, non Satanæ, non Bacchо non Cereri, non Veneri. Dei sumus filij, Dei solius nomen inuocetur supernos: ita nos geramus, vt nomen mundi, carnis & diaboli nobis meritò non imponatur. Pudeat filios Dei vocari filios diaboli, & mancipia peccati, vel seruos mundi. Primitiæ Dei sumus, væ nobis, si Deum primitiis & oblationibus suis priuemus, & inimicis suis eas offeramus. Deus creator noster est, sumus nos eius creaturæ, opera manuum suarum: creaturæ Dei sumus, quâ homines, & quâ sancti & selecti: creatorem igitur nostrum amemus, honoremus, colamus: Deo soli seruiamus & obsequamur: pudeat nos vocari & haberi ctismata diaboli, mundi, carnis. Gratias denique Creatori & Patri nostro cœlesti agamus, qui nos creauit & regenuit, vt essemus gens sacra, regnum sacerdotale, & primitiæ suarum creaturarum. Trin-vni Deo gloria in secula seculorum, Amen.

Dom. Iesus Christus est increatus sermo increatæ veritatis: sed verbũ Dei, quod in Scripturis continetur, hîc intelligitur.

Qui seipsũ formar, deformetur, dum formatur.

Vers. 19.20.

Itaque fratres mei dilecti, sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram. 20. *Nam ira viri iustitiam Dei non exequitur.*

EXhortationem hãc ego sic explico: Quandoquidem Deus nos progenuit sermone veritatis, vt sacra quædam ei oblatio essemus, circumcidamus igitur omnes, quotquot hoc credimus, aures nostras, labia & animum: *veloces*, parati, prompti, acres, alacres, expediti ac diligẽtes simus ad audiendum verbum veritatis, & ad discendum à Deo, quod nobis vtile erit: è contrario, *tardi simus ad loquendum*, promptiores simus ad discendum, quàm ad loquẽdum, linguas nostras compescamus & temperemus, prudentes, discreti, & cauti simus in sermonibus nostris, ne lingua pręcurrat mentem, aut ea loquamur, quæ non decet: *tardi item simus ad iram*, animi potentes, patientes, placidi & longanimitatis, ac pacis studiosi. Nam ira nostra rebellis & iniusta non exequitur præcepta diuina, non efficit quę iusta & bona sunt in conspectu Dei, sed ea potius, quæ Deo displicent, iniqua scilicet, noxia & nefanda. Non recipit doctrinam sanam, sed repellit.

Omnis homo. Sint omnes ad audiendum veloces, iuuenes & senes, pauperes & diuites, viri & mulieres. Qui dicit *omnes*, excipit nullos. Si homo sit, si anima rationali prædituς sit, si à Deo genitus sit, si aures habeat, velox sit ad audiendum, & discendum ea, quæ salutaria sunt, & ad salutem consequendam necessaria. Qui cupit saluari, verbum audiat salutis: qui credit se filium Dei esse, libenter audiat patrem suum cœlestem in Scripturis & ministerio Ecclesiæ loquentem: quicunque portionem se esse putat primitiarum Dei, se & aures suas Deo offerre & consecrare conuenit. Auris bona est, quæ libenter audit Deum: auditor bonus est, qui velox est ad audiendum, sapiens ad intelligendum, & para-

Vel sic: cùm simus Dei primitię & populus sanctus, ne linguæ, iræ, & prauis nostris affectibus indulgeamus, sicut ij faciũt, qui nõ sunt filij & primitiæ Dei, sed mancipia potius diaboli: sed linguam & iram temperemus, promptiores simus ad discendum, quàm ad loquendum, fouentes in nobis silentium, discẽdi studium, patientiam, & mansuetudinem, ac lenitatem spiritus: ira enim hominis inordinata non facit, quæ Deus iubet, sed quę carni placent.

paratus ad faciendum; qui audienda audit, credenda credit, & facienda facit. Cibus mentis est sermo veritatis: qui autem esuriunt, cibum sibi propositum libenter capiunt. Verbum Dei candela accensa est: qui tenebras fugiunt & horrent, ac lucem amant, candelam amant, promptéque ad eam accedunt. Deus se nobis liberaliter offert: ad docendum velox & paratus est: nos igitur illi dociles præbeamus: ad audiendum & discendum veloces simus & impigri. Neque senectus, quæ homines frigidos, ac tardos & socordes efficit, velocitatem hanc nobis commendatam impedire debet. Etiam seni discendum est. Ad discēdum enim, quod opus est, nulla ætas sera videri debet. Nam senes multò magis decet discere, quàm ignorare. Si Deus doctorem se offert senibus, æquum est vt senes se Deo discipulos discendi cupidos pariter exhibeant. Deus loquitur in Scripturis & Ministris suis, audiant senes Scripturas Dei, audiant Ministros Dei. Imò veloces omnes simus ad audiendum quemuis sapientem. Quod nescimus, ab omnibus libenter discamus. Sæpe etiam rudis & illiteratus vtilia & opportuna loquitur, ac vt Chrysippus ait,

Quod tu non nosti, fortasis nouit asellus.

Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei: audiamus igitur, vt credamus. Rom. 10. 17.

Doctrina item, & eruditio ex auditu est: sapientes igitur omnes audiamus, vt scientia & doctrina polleamus. *Sapientior,* inquit Hugo, *omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Prudens auditor omnes libēter audit, omnia legit: non personam, non scripturam, non doctrinam spernit: ab omnibus indifferenter, quod sibi deest, & quod deesse videt, quærit: non quantum sciat, sed quantum ignoret considerat. Proximus* (enim) *cognitioni est, qui, quid debeat inquirere, prudenter agnoscit. Maxima enim pars intelligentiæ est scire, quòd nescias.* Hugo de Sanct. Victor. in suo didascal.

Sed audiamus cum iudicio ac discretione. Tantum enim valet discretio, vt sine ipsa omnis tum loquendi,

tum audiendi labor inutilis & vanus ſit. Ne venenum auribus noſtris imbibamus, ne dediſcenda diſcamus, ne non audienda auidè audiamus & voremus. Sermo veritatis hamus eſt, qui, dum capitur, audiẽtem, id eſt, deglutientem capit. *Nec fit captis iniuria: ad ſalutem enim, non ad perniciem capiuntur*, vt ſcribit D. Aurelius Auguſtinus.

Aug. in Iohan. tract. 42.

Sermo itẽ mendacij & vanitatis hamus eſt, qui, dum capitur, capit: ſed qui capitur, lædit, polluitur, inficitur. Videamus igitur quid audiamus. Fruſtra (inquit Plutarchus) clauduntur portæ ciuitatis, ſi vna relinquatur aperta, per quam hoſtes irrumpant: ita non ſatis eſt in cęteris temperatum eſſe, ſi auditus pateat pernicioſis ſermonibus.

Velocitatem quandam in multis ad audiendum video, & vitupero. Hiſtriones hic libentiùs audit, quàm Concionatores: comœdias ſæpiùs audit, quàm conciones. Ille morionem alit, & audit; auidiùs, libentiùs hunc audit, quàm virum ſapientem & doctum, animæ ſuæ Paſtorem, pium & eruditum. Alij floſculos orationis, voluptatis cauſa ſectantur: ſed vim ſententiarum & vtilitatem paruipẽdunt & prætereunt. In templum veniunt, ſicut in theatrum, voluptatis cauſa, ad delectandas aures, & paſcendam phantaſiam propriam. Concionatores enim nonnulli ſunt, qui gloriam Dei non quærunt, ſed ſuam: Rhetores ſunt, non concionatores: ſe ipſos prædicant, non Chriſtum. His & auditoribus ſuis laſciuis, non placet ſermo veritatis, ſimplex & nudus, vt nec quidam ſtulti mariti vxoribus ſuis delectantur, niſi minio, ceruſſa, ſtibio, puluere, pigmentis & vnguentis circumliniantur, & eiuſmodi ineptiis interpolentur. Multi denique ſunt, qui ad audiendum velociſſimi quidẽ ſunt: ſed quos? Hæreticos, ſchiſmaticos, & impoſtores. Hoc genus hominum doctores nullos, niſi deceptores, aut hypocritas ex corde diligit & ſequitur. Auditorum magna eſt copia: ſed magna ſolitudo bonorum.

Tar-

Tardus ad loquendum. Effrænata licentia,& intemperantia linguę cauenda eſt.Quò magis linguę indulgetur,eò magis flagrat inſtar ignis,aut ferocis equi. Diſcere priùs oportet, quàm loqui, ac libentiùs audire aliorum ſententiam, quàm noſtram proiicere. Quandiu Dominus ſacrum ſuum os habet apertum,illi animos autéſque noſtras aperire par eſt,& intempeſtiuè obſtrepere, & obgannire dedecet. Arguentem eum & comminantem muti (non ſurdi) debeamus ferre, ac per altum ſilentium placidè ſuſtinere. Imò per totam vitam ad audiendũ, quàm ad loquendum, promptiores nos eſſe æquum eſt. Deus enim duas nobis aures dedit,linguam vnam. *Idcirco* (inquit Zeno) *aures habemus duas, & os vnum, vt plura audiamus,loquamur perpauca.* Laert.li.17. Hic adoleſcentem quendam plus ſatis loquentem in conuiuio audiens, dixit aures eius in linguam defluxiſſe. *In multiloquio* (inquit Salomon) *non deerit peccatum.* Pro.10. Ori igitur faciamus oſtium & ſeram, & verbis iugum & ſtateram. Qui cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit animam, quoniam mors & vita in poteſtate linguæ eſt. Labitur (inquit Hugo) vt anguilla penetrat vt ſagitta,tollit amicos,multiplicat inimicos,mouet rixas, ſeminat diſcordias, vno ictu multos percutit & interficit,blanda eſt & ſubdola:lata & parata ad exhaurienda bona & miſcenda mala.

Mirè ſua multis placet garrulitas: ſed reuera ſtulti ſunt & habentur. Sapiens enim non, niſi cùm reſpoſtulauerit, loquetur, & paucis ſuam abſoluet ſententiam. Ideo Demoſthenes in conuiuio audiens hominem loquaculum, dixit, *Si multum ſaperes,non multa loquereris.* Sapientes multum vexat fatuorum loquacitas: proinde Archelaus loquaci tonſori dicenti, *Quomodo te tondebo?* vrbanè, *Silens*, inquit. Diſcant igitur garruli linguam ſuam compeſcere, & quieſcere: ad audiendum & diſcendum veloces ſint, ad loquendum tardiores : rarò ac minimùm cum aliis loquantur, ſæpè ac plurimùm ſecum.Qualis ſermo ta-

lis est animus: vanus sermo vanæ mẽtis est index: quoniam ex corde oriuntur verba: neque sermo vanus aut otiosus erit absque iudicio. *Dico vobis* (inquit ille, qui optimè nouit) *quodcunque verbum otiosum loquuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die iudicij.* Discamus igitur omnes, aut dicere aliquid silentio melius, aut silentium habere. Nam silentium signũ est sapientię (etiam stultus, dum silet, sapiens habetur:) & loquacitas est indicium stultitiæ. Stultus se pandit & prodit multiloquio suo, vt sorex strepitu, vt hirundo garrulitate.

Matth. 12. 36.

Tardus ad iram. Qui Deum audiunt, qui Doctorem Deum habent, & ab eo discunt, patienter & placidè eum sustinere debent: irasci, tumultuari, contradicere, resistere & insurgere nequaquam eos decet. Neque enim Deus, nisi compescantur affectus, & alti hominum spiritus humilientur, audiri potest. Qui contentiosi, feroces & iracundi sunt, Deum non ferunt redarguentem, non audiunt docentem. Ni fueris humilis, placidus, & mitis, malus eris discipulus in schola Christi, non erit tibi lex eius in salutem, sed per malitiam cordis tui & ferociam animi rebellis, quia parêre noluisti, detrimento tibi erit, & damnationi. Neque hoc solùm nomine recipienda est hæc Apostoli exhortatio, quia nimirum ira audientiam, quam sibi Dominus fieri requirit, quasi tumultuando & insurgendo perturbat & impedit: sed quia multorum malorum origo sæpiùs esse solet. Rectè ait Iacobus *iram hominis Dei iustitiam non operari.* Ira certè, si rationis habenæ laxatæ fuerint, iustitiam mittit, legem diuinam transgreditur, nihil rectè, nihil considerate facit: sed omnia conturbat, quod Deus præscribit non exequitur, charitatem violat, pacem confundit, lites, rixas & pugnas mouet, & omnia miscet. Hominem enim sibi ipsi eripit, ac mentem eius ita perturbat & dementat, vt nullum locum habeat vllum pietatis officium, sed quod furor suggerit, rectum putet. Irasci simpliciter malum non est,

eſt,ſed malè irafci malum eſt,immoderatè irafci vitiò vertitur. *Iraſcimini*(inquit Apoſtolus)*& ne peccate.* Concedit, quod naturæ eſt, negauit quod culpæ eſt, ait D. Ambroſius. *Qui iraſcitur fratri ſuo temerè.* Pœnam minatur Chriſtus *iraſcenti temerè:* non ei, qui cauſam habet, ac modum & ordinem ſeruat. Rectè Lactantius, *Iraſci* (inquit)*rationis eſt. Auferuntur enim delicta,& refrænatur licentia,quod vtique iuſtè,ſapientérque fit. Neceſſe eſt enim bono ac iuſto diſplicere,quæ praua ſunt:& cui malum diſplicet,moueri,cùm id fieri videat. Ergo ſurgimus ad vindictam:non quia læſi ſumus,ſed vt diſciplina ſeruetur,mores corrigantur,licentia comprimatur. Hæc eſt ira iuſta,nec homini adimi debet. Nam qui non mouetur omninò,aut probat delicta,quod eſt turpius,& iniuſtius:aut moleſtiam caſtigandi fugit,quam ſedatus animus, & quieta mens aſpernatur, ac renuit,niſi ira ſtimulauerit. Qui autem commouetur, tamen intempeſtiua leuitate, vel ſæpius, quàm neceſſe eſt, vel etiam ſemper ignoſcit, is planè & illorum* (ſeruorum,liberorum, &c.) *vitam perdit, quorum audacia nutrit ad facinora maiora,& ſibi ipſi æternam moleſtiarum materiam ſubminiſtrat. Vitioſa eſt ergo in peccatis iræ ſuæ cohibitio. Hìc non cohibenda ira,ſed etiam,ſi iacet,excitanda eſt. Nam ſicut corpus humanum Deus multis & variis ſenſibus ad vſum vitæ neceſſarijs inſtruxit: ſic & animo varios attribuit affectus, quibus vitæ ratio conſtaret: vt libidinem producendæ gratia ſobolis dedit,ſic iram cohibẽdorum cauſâ delictorum.* Hæc Lact. lib. de Ira Dei. cap. 17. & 18. D. Ambroſius ſimiliter, *Iraſcimini*(inquit)*vbi eſt culpa,cui iraſci debeatis. Non poteſt enim fieri, vt non rerum indignitate moueatur: alioquin non virtus, ſed lentitudo, & remiſſio iudicatur.* Sic Greg. Mag. *Si nobis & proximis delinquentibus iraſcimur, non peccamus. Si enim ſic proximos,vt nos,amare præcipimur,reſtat vt ſic eorum erroribus,ſicut noſtris vitijs iraſcamur.* Legimus Chriſtum circumſpexiſſe Phariſæos cum ira.

De gubernatoribus loquitur. Eph. 4. Matth. 5. Ambr. Off. l. 1. Greg. Moral. l. 3. Marc. 3.

Cæterùm ira, quæ iniuſta, vana, inutilis, & immodica eſt, cohibenda eſt, extinguenda eſt. Et quia periculum eſt, quando iraſcimur, ne rationis leges & limites tranſcendamus (ita corrupta eſt natura noſtra, & in

malum præceps) maiori cum ſtudio vigilemus, & animum noſtrum cuſtodiamus, ne irâ correpti & tranſportati, ea, quæ non decent, effutiamus aut faciamus.

Ira ſimilis eſt cani pecuario: hic, ſi paſtori ne ſciat, obedire, & in oues ſæuiat, inutilis eſt, occidendus eſt: ſed ſi obſequi ſcit, vtilis eſt contra lupos, & fouendus. *Veluti miles quidam apud ducem arma ſumens, paratus eſt eius iuſſu auxilium præbere: ſic ira, ſi rationi adiutrix contra peccatum fuerit,* inquit D. Baſil. hom. de irâ.

Verſ. 21.

Quapropter depoſitâ omni immunditiâ, & ſuperfluitate malitiæ, cum lenitate recipite inſitum ſermonem, qui poteſt ſeruare animas veſtras.

OStendit hîc *Iacobus* quomodo ſermo veritatis recipiendus eſt, nempè cum humilitate & lenitate animi, irâ, proteruiâ, ac omni malitiâ & immunditiâ depoſitâ.

Quapropter. Hoc eſt, ira hominis non exequitur, quæ Deus in verbo ſuo loquitur & proſcribit, ſed proteruiam tumultus & rebellionem gignit & excitat, audientiam & obedientiam, quæ debetur Deo, miſerè perturbans: deponite igitur & abiicite à vobis omnem iracundiam, ferociam, proteruiam, malitiam, & quicquid poteſt animam, ſermonis diuini receptaculum, fœdare: his autem abiectis, cum patienti, leui ac humili ſpiritu recipite & amplectimini ſermonem veritatis, quem Deus in re generatione veſtrâ pectoribus veſtris indidit & inſeuit, qui etiam ſermo vobis inſitus poteſt vos ſeruare, & ſeruabit certò, ſi eum placidè recipiatis, & fideliter cuſtodiatis.

Depo-

Depositâ. Impatientia, ira & omnes prauæ passiones deponi ac abiici debent, vt immundæ, fordæ & laceræ vestes.

Omni. Non aliquæ tantùm sordes, sed *omnes* sunt abiiciendæ: non paululum malitiæ, sed *malitia omnis* eiicienda & relinquenda est: omnes immundi & mali affectus, maximi & minimi resecandi & abiiciendi sunt. Impediunt enim incrementum & profectum sermonis insiti, & conceptionem inserendi. Cor eius, in quo regnat vllus malus affectus, neq; tenax est, neq; capax sermonis vitæ. Bis peccat, qui peccato vel minimo obsequium accommodat. Seruus peccati mortuus est, & æternæ mortis pœnę obnoxius. Corpus eius viuum sepulchrum est animæ mortuæ. Vt enim fulminis quædam species, est, quæ vaginam foris integram relinquit, ferrum autem intus ferit: sic peccatum, quod in homine regnat, corpus eius viuum foris relinquit, animam autem intus occidit, seperans ab illa gratia, quæ est animæ vita. Exiguum fermentum totam massam acore suo fermentat: & aperta vna aliqua rimula serpens, vt est callidus, se facilè totum inuoluet. Minimus malitiæ gradus mortalis est in se, & proinde mortificandus. Venenum, quod aspides, bufones, & aranei sine sua pernicie continent, in alienam effundunt: at malitia maximè nocet ipsi malo: ipse veneno suo perit. Vt autem mala fecit, ita mala etiam patietur. *Equidem dico* (inquit D. Augustin.) *quod malitia tua vt alteri non noceat, fieri potest, vt autem sibi non noceat, fieri non potest.* Non est peccatum vnum, quod Deo non est iniurioſum, & verbo eius contrarium. Dices peccata tua magna non esse. Sit, vt dicis: tamen non sunt negligenda. Sagitta res est non magna attamen grauiter vulnerat. Non sunt quasi leones aut vrsi: sint tantùm sorices & mures. *Satyrus* & *Perpetua*, Martyres, à Leo-

Augustin. in Psal. 130.

nibus deuorati sunt. *Euphemia* vrsis & leonibus obiecta, ab iisdem interfecta est. Sed *Hatto* Archiepiscopus Moguntinus à muribus in *Rheno* fluuio deuoratus fertur. *Popielem* quẽdam Soricibus absumptum fuisse nonnulli scribunt. Sint instar pulicum, aut vermium, possunt tamẽ necare. *Si proÿciatur quisquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi*, inquit Augustinus? *Maximianus* Imperator, vlcere inguinibus innato, vermibus vndique erumpentibus obiit. Ante eum vermibus absumptum fuisse *Herodem* testantur Sacræ Scripturæ. Act. 12. *Honorificus* Vandalorum rex, & *Pherecydes* Syrus, à pediculis eroſi periêre. Ne igitur peccata & vitia nostra negligamus, quia minora sunt: sed abiiciamus quia peccata sunt, hoc est, quia mala sunt, & exitiosa.

Immunditia. ῥυπαρία est genus quoddam vlceris sordidi, & generaliter significat sordes, situm & illuuiem, à ῥύπος sordes, propriè quæ in summis manuum ac digitorum vnguibus colliguntur: aut illuuies, quæ distinguitur à corporibus oleo illitis post sudorem. Per metaphoram ῥυπαρία hîc significat sordes, quę ex corde oriuntur, & hominem inquinant in conspectu Dei, qualia sunt hominum vitia, carnales cupiditates, feroces Spiritus, & peccata vniuersa. Melius quidem est stercore & cœno pollui, quàm peccatis. Externa immunditia potest aqua purgari, sed pollutio peccati omni aqua Oceani nõ potest dilui. Illa corpus, hæc animam maculat. Illa facilè, hæc non sine vera pœnitentia remoueri potest. Peccata igitur horreamus, & à nobis abiiciamus. Sordes sunt, animam polluunt: ea igitur caueamus: si autem polluti fuimus, pœnitentiam seriò ac citò agamus: vero animi dolore, eiulatione & lachrymis lauemus nos, ac quasi smegmate & aqua detergamus & diluamus sordes nostras. Certè veritatis sermo res est sacra & pura: vt ad eum igitur recipiendum aptemur, exudare & abstergere sordes, quibus inquinamur, par est. Cor hominis terra illa est, quæ verbum Dei, tanquam semen bonum & fructuosum, reci-

recipere debet: quemadmodum igitur agricola, ſemen ſuum terræ mandaturus, curat in primis vitioſas herbas eradicare, & agrum ſuum lapidibus, tribulis & ſpinis expurgare: ita, vt verbum fœliciùs excipiamus, & fructum vberius adferamus, iracundiam, peruicaciam, ferociam, malitiam, & omnes prauas cupiditates, tanquam herbas vitioſas & noxias, ex animis noſtris euellere & abiicere oportet. Purgemus igitur nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus: deponamus omnem malitiam, & omnem dolum & ſimulationes, & inuidentias, & omnes obtrectationes, atq; vt modò nati infantes lac illud ſermonis veritatis ſincerum expetamus, vt per illud adoleſcamus. 2. Cor. 7. 1. Pet. 2.

Superfluitate malitiæ. Malitia eſt corruptio, prauitas, & vitium quod cum voluntate Dei pugnat, qui non modò actiones noſtras externas vult eſſe bonas, ſed etiam bonos affectus & habitus, & voluntatem bonam, & bonam mentem poſtulat & præcipit, ac omnem improbitatem & vitioſitatem, κακίαν omnem, prohibet & punit. Malitia radix & fons eſt plurimorum malorum animam polluit, vitam maculat, & vbicunq; regnat, verbum impedit, religionem pellit, & charitatem veram tollit. Requirit Ap. vt abiiciamus *Superfluitatem* malitiæ, id eſt, malitiam omnem, quæ reuera ſuperflua & nimia eſt, & merum excrementum. Dedit quidem Deus corpus, & animam, dedit etiam mentem, voluntatem, affectus, & ſenſus, indidit homini ſapientiam & iuſtitiam, non infudit ei malitiam: bonum fecit, non fecit malum. Homo ſeipſum ſuggeſtione Diaboli malum fecit, & in miſeriam malitiæ & mortis ſe & progeniem ſuam vniuerſam coniecit. Acceſſit igitur malitia & irrepſit, vt res omninò ſuperflua, inutilis, peregrina, ope & arte diaboli introducta. Omnis malitia, omnes improbi habitus, omnes vitioſæ cupiditates ſunt ſuperfluitates quædam & res excrementiciæ, ſicut ſunt pediculi, lendes, næui, rugæ, verrucæ, vlcera, morbi, & corporis ſitus ac illuuies. Quemadmodum

autem ſemina, quæ ſterquiliniis, ſentinis, & cæno mã-dantur, ibi corrumpuntur & pereunt: ita verbum Dei, quod ſeminatur & cadit in terram malam, hoc eſt, in homines vitioſos & improbos, malitiæ & vitijs ſuis de-ditos & affixos, ſuffocatur, vt ita dicã, & perditur. Quoniam autem vitium nimium & ſuperfluum eſt, igitur amputandum & abiiciendum eſt. Fideles ſunt & ſan-cti, apud quos Apoſtolus hîc verba facit: vnde colligendum eſt malitiam ſanctis etiam, ineſſe & inhærere, dum in carne habitant, ac proinde continuo ſtudio minuendam & mortificandam eſſe. Fallitur qui ſe mundum eſſe putat, dum in mundo viuit, cæcus eſt, qui in ſe nulla mala videt: malus eſt, qui malitiam ſuam non mortificat. Solus is ſapiens & ſanctus eſt, qui malitiam ſuam innatam retundit, reſecat & morti-ficat, ac vitioſas omnes cupiditates inde orientes & ſubinde repullulantes, tanquam malas & morti-feras herbas, eradicare & deſtruere molitur. In primis contendendi ſtudium, peruicaciam, iram, & ſuperbiam, quæ fœlicem verbi progreſſum & ſuc-ceſſum impediunt, à nobis proiiciamus & propella-mus.

Remotis iam obſtaculis oſtendit qualiter recipien-dus ſit ſermo veritatis, nempè *cum lenitate*, hoc eſt, cum quieto, placido, & patienti ſpiritu. Verbum ſemen eſt, cor terra eſt: vt autem terra pura & ſubacta eſſe de-bet, cui agricola ſemina ſua commiſſurus eſt: ita o-portet nos altos noſtros ſpiritus comprimere, cor no-ſtrum ſuperbum ſubigere, & eſſe lenes, patientes ac humiles, tanquam terram puram & ſubactam, aratro & occa paratam, vt ſermo veritatis, & vitæ, altas in no-bis radices figat & fructus ſuos ſalutares proferat. Vis eſſe bonus diſcipulus Chriſti? Depone ferociam tuam eſto lenis & humilis, Miniſtros eius audi cum humi-litate & modeſtia: ne ſis peruicax, ſuperbus, refra-ctarius. Nam requieſcit Spir. Sanctus ſuper humiles & quietos, hos docet, & diligit. In hoc autem ve-

ra ani-

ra animi lenitas & humilitas consistit, si voluntas nostra diuinæ voluntati subiecta fuerit. Qui lenitatem & humilitatẽ suam probare cupit, audiat Deum animo composito, subiiciat se Deo, & obsequatur, etiamsi dura, ac carni iniucunda præcipiat & exigat. Facilè audimus Deum, dum docet & loquitur, quæ nobis non displicent: si verò errores, vitia & maleficia nostra confutauerit, arguerit, & damnauerit, ac bona corruptioni nostræ contraria iniunxerit & inculcauerit, statim incipimus tumescere, tumultuari, fremere, irasci & resistere. Imò persequimur Deum & multas ei turbas & molestias mouemus & efficiamus, quando in peccata nostra, quæ fouemus & amamus, inuehitur, & iudicia sua tremenda nobis minatur. Ministri enim verbi nos alloquuntur in persona & Nomine Christi, à Deo missi & potestate præditi. Hos qui recipiunt, Christum recipiunt: sed qui eos contemnunt, persequuntur & abigunt, Dominum Iesum Christum contemnunt, persequuntur & abigunt. Si vis igitur Christum audire cum spiritu lenitatis, Christi Ministros cum lenitate audire velis. Si te eorum Ministerio nolis subiicere, inter rebelles, refractarios & inimicos Christus te numerabit, quorum exitium ipse tibi his verbis depinxit & indicauit. *Meos illos inimicos, qui voluerunt me regnare supra se, adducite, & iugulate coram me.* Non vult ille Christum regnare supra se, qui legi Christi non vult obedire, qui Ministros Christi non vult placidè sustinere, sed resistit, recalcitrat, & aduersatur, erroribus & vitiis suis indulgens, & pertinaciter adhærens. Grauiter igitur peccant, necnon graues pœnas Deo dabunt, qui Ministros suos non amant, sed persequuntur & infestant, quantum possunt acaudent, quia vitia & maleficia, quibus oblectantur, taxant, ac Verbi diuini mole & malleo premunt, & contendunt. Luc. 19. 27.

Sermonem insitum. Sermo comparatur semini vel plãtæ. Hic nobis inseritur seu implãtatur per gratiam di- Luc. 8. 11.

uinam opera Miniſtrorum. *Ego* (inquit Ap.) *plantaui, Apollos rigauit, ſed Deus dedit incrementum.* Semen hoc
1. Cor. 36. verbi ſpargitur in corde, cùm regeneramur, ac firmè radicatur, quùm nimirum ei credere & obedire, & in illud tranſmutari incipimus. Nam verbum, vbi à Deo cordi inditum eſt, hominem mutare & transformare ſolet. Verbum in nobis non inuitis plãtatur: ſed Deus eſt, qui voluntatem tribuit: neque poteſt euelli, aut deſtrui calamitate vlla, nobis inuitis. Prẽſtantior eſt hæc planta omnibus herbis & arboribus, quas terra fert. Hæ enim omnes oriuntur & moriuntur, terra ſunt & in terrã conuertentur: has omnes terra producit & alit, ſol fouet, & aqua reficit: at ſermo veritatis eſt ſemen cæleſte, planta eſt, quæ plantatur à Deo, non in terra, ſed in corde humano, in quo radicatur, creſcit & fructum fert, non clementia ſolis, aut virtute aquæ, ſed fauore Dei, & gratia Spiritus Sãcti; neque poteſt vlla violentia eradicari, ſed ibi manebit inconcuſſe & firmè, niſi ipſe, in quo plantatur, propriis manibus eam euulſerit. Planta iſta nobilitat & illuſtrat Eccleſiam, quæ per ſermonem veritatis glorioſa & beata eſt, & erit in æternum. Hoc cæleſti ſemine ſi priuaretur, non diutiùs eſſet eccleſia Dei, ſed ſynagoga Diaboli: non hortus amænus, ſed vaſta & inculta eremus: non vinetum, ſed dumetum: non lilietum, ſed rubetum. Amemus igitur & magno æſtimemus plantam hanc: foueamus eam, & ſeruemus integram: inueniat locum in cordibus noſtris, vt radices ſuas latè diffundat, nec ſinamus Diabolum eam nobis eripere & ſuffocari, ſed conſtanter & fideliter eam cuſtodiamus: cum lenitate, inquam, recipiamus, cum fidelitate cuſtodiamus. Humiliter enim recepta & fideliter cuſtodita ſalutem æternam certò conſequemur. Poteſt enim ſermo veritatis inſitus, vt docet Apoſtolus, *Seruare animas* noſtras. Nam verbũ Dei nos illuminat, mũdat, regenerat, & ducit. Fides, perquã viuimus, iuſtificamur, purgamur & ambulamus, ex auditu verbi Dei

Dei concipitur. Hinc eſt quòd Apoſtolus dicit, *Non me pudet Euangelij Chriſti: potentia ſiquidem eſt Dei* (cæleſte ſcilicet organon, quo Deus vires ſuas exerit & manifeſtat) *ad ſalutem cuiuis credenti.* Rom.1,16.

Cum lubentia igitur & lenitate animi ſermonem veritatis, animæ noſtræ medicamentum ſalutare, & alimẽtum vtile, recipiamus, in nobis foueamus, & plurimi faciamus. Pharmaca omnia, dapes omnes, delitiæ & diuitiæ omnes præ ſermone vitæ ſordeant, ſint nihili.

Qui autem ſunt verbi Miniſtri, verbum miniſtrent, verbum inquam veritatis diſpergant, prædicent. Quæ ſua ſunt, meditentur, agant. *Morte dignus eſt ſacerdos* (inquit Caluinus) *à quo vox prædicationis non auditur. Nobis* (inquit Bernardus) *tacere non licet, quibus ex officio incumbit peccantes arguere.* Similiter longè ante hos D. Greg. Mag. *Iram contra ſe occulti Iudicis exigit, qui ſine ſonitu prædicationis incedit. Væ autem mihi eſt* (inquit Sanctus Ap. Paulus) *niſi euangelizem.* Sermo veritatis eſt ſermo vitæ, & ſalutis, ſermo (inquit D. Iacobus) qui poteſt animam ſeruare: damnandus igitur is eſt, qui cura animarum ſuſcepta officium ſuum negligenter facit, voluptates ſectans, & honoribus ac diuitiis inhians, cura animarum poſtpoſita curæ dignitatum & opum, delectatus vellere multò magis, quàm grege ſibi à Domino commiſſo. Caluin. in Exod. 28. Greg. part. 2. curæ paſtoral. cap. 4. 1. Cor. 9.

Verſ. 22.

Eſtote verò actores ſermonis: nec eſtote auditores ſolùm, falſo ratiocinando fallentes vosmet ipſos.

OStendit Apoſt. his verbis qualem auditorem requirat Deus; non vult nos audire verbum ſolùm, ſed factis exprimere, quod audimus: alioquin noſmet ipſos decipiemus, quod malum eſt, & miſerum. Is enim auditor bonus eſt, qui audienda facit, & facien-

da audit. Audire nos vult Apoſtolus, ſed non tantùm audire. Non audiamus igitur tantùm, audiamus tamen. Non audire malum eſt: quæ autem audiuimus, non curare, non præſtare malum etiam eſt, & pernicioſum. Danda igitur opera eſt, vt radices agat in nobis ſermo veritatis, quem audimus, quò poſteà fructificet, ac vitam noſtram emendet & adornet. Beatus enim is eſt, qui audit verbum Dei, & cuſtodit illud. Aſſimilatur talis auditor viro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper firmam petram. Qui vero audit ſolùm, ſimilis ei eſt, qui ædificat domum ſuper arenoſum & infirmum fundamentum. Homo, qui imbrem ſanæ doctrinæ ſæpiùs in ſe venientem combiberit, & progenuerit herbas bonas, exempli gratia, *balſamum* fidei, *hyſſopum* humilitatis, *bulapathum* patientiæ, *iecorariam* charitatis, *lilium* puritatis, *anethum* ſiue *lapſanam* parſimoniæ honeſtæ vel frugalitatis, *enulam campanam* integritatis, *heliotropium* obedientiæ, & eiuſmodi alias, recipit benedictionem à Deo: qui verò profert ſpinas, vrticas & tribulos, reiicietur, & ignis inextinguibilis cruciatibus afficietur. Seruabit enim Dominus nullos, niſi ſeruos ſuos morigeros: ſeruabit ſermo Domini nullos, niſi eius actores, qui ei per omnia obedire optant, orant & laborant. Seruus legis eſt, qui legem amat, & mandata eius exequi ſincerè ſtudet. Rebellis eſt, refractarius eſt, peccati mancipium eſt, qui vitiis ſuis ſeruit, & legem negligit & conculcat. Nam iuſtus is ſolus eſt, qui iuſtitiam facit, & peccatum odit ac relinquit. Nonne Dominus *Ieſus* Chriſtus nobis legem dedit? ſed vbi is eſt, qui legem Chriſti facit? Ecce, totus mundus plenus eſt auaris, ebriis, ſcortatoribus, obſcenis, ſacrilegis, & contemptoribus Dei, Eccleſiæ, Euangelij, & rerum omnium ſacrarum. Pœnitentiam ſeriò agamus, malos noſtros mores relinquamus, vel pudeat nos nomen *Chriſtiani* vſurpare, ac conciones, & templa Domini frequentare. Damnandi igitur ſunt mali omnes auditores.

Simul pluit Dominus ſuper ſegetes, & ſuper ſpinas: ſed ſegeti pluit ad horreum ſpinis ad ignem, & tamen vna eſt pluuia, Aug. de benedic. Eſ. & Iacob.

1. Ii qui ad audiendum accedunt vt iudicent, non vt iudicentur ipſi: vt detrahant, non vt diſcant.

2. Qui veniunt, vt ſciant loqui & diſputare, non autem vt linguam & mores ſuos doctrinæ, quam audiunt, aptent & conforment. Homunciones iſti ſimiles illis ſunt, qui guſtant plura vina, non vt emant, ſed vt poſſint hoc laudare, illud vituperare; vel eis, qui ad nundinas eunt, non mercandi cauſa, ſed ſpectandi & loquendi. Rem magnam enim ſe feciſſe, & officio ſuo ſatisfeciſſe putant, ſi concionem laudauerint, & concionatorem præconiis ſuis affecerint. Sed audi, obſecto, Bona vita auditoris eſt optima commendatio concionatoris. Reales laudes poſcimus, non verbales. Quis res muta eſt, loqui non poteſt: paſtorem tamen ſuum laudat abundè, non ore, ſed re, ſi ſana, pinguis, & pulchra fuerit. *Mirabilem audiui*, inquis, *Concionatorem*, literatiſſimum, eloquentiſſimum: concionem excellentiſſimam, meliorem nunquam audiui. Benè eſt: ſed quæro, Quænam in te mirabilia fecit? Num te fecit mirabilem, amiabilem auditorem? Didiciſti hypocriſin & ſordes tuas abiicere, & mores mutare? Num tu inde melior factus es? Quid didiciſti? Quem progreſſum feciſti? Pudeat, inquam pudeat te verbis conciones laudare, & factis improbare: ore commendare, & re in honorare. Emendationem tuam querimus, nõ commendationem: profectum, non plauſum: lachrimæ diſcentis ſunt laudes docentis.

3. Qui non ſolùm non faciunt bona, quæ audiunt, ſed mala his contraria perpetrant, & cupiditatibus ſuis ſtrenuè obſequuntur & adhærent. Qui profectò omnes, ſi duri & refractarij permanſerint, grauiſſimas pœnas Deo dabunt, qui vt bona bonis, ſic mala malis præparauit. Væ illis omnibus, qui audienda audiunt, ſed vel non facienda faciunt, vel facienda non faciũt. Qui non volens præſtat bona, quæ audit, is nolens patietur mala, quæ audit.

Fallentes voſmetipſos. Argumentũ eſt ab incõmodo. Si

nolimus ſermonem Dei, quem audimus, factis noſtris exprimere: hoc eſt, ſi nolumus verbo credere & obedire, ſi auditores ſolùm eſſe volumus, paralogiſmis noſmet ipſos certò fallemus. Fallit enim ſeipſum, qui ſalutem ſuam in auditu verbi repoſitum eſſe putat. Paralogizat ſeipſum, qui credat ſe ſatisfacere officio ſuo, ſi modò audiat verbum. Decipit ſeipſum, qui ſe in ſtatu gratiæ eſſe, & hæredem æternæ gloriæ ex ſolo auditu arbitratur. Quæ igitur credenda audimus, credamus: quæ nobis facienda eſſe audimus, faciamus. Quæ Dei ſunt, Deo demus: quę *Cæſaris* ſunt, *Cæſari* tribuamus: quæ noſtra ſunt, nobis, quæ verò proximi, proximo perſoluamus.

Ingenuè quidem fateor neminem, ne ſanctiſſimum quidem, omnia, quę verbũ requirit, *perfectè* poſſe exequi: quod noſtrum eſt tamen faciamus, Feruenter oremus, conſtanter ſtatuamus, ſincerè & enixè ſtudeamus ac laboremus, vt Domino placeamus, & eius verbo obediamus, promiſſionibus in fidem habendo, præceptionibus obſequium exhibendo, & comminationes ſuas formidandas timendo: & quando à nobis peccatum erit, veram & maturam pœnitentiam agamus, in Ieſum Chriſtum ſuſpiciamus, ac diuinam veniam ſuppliciter poſtulemus. Fallit enim ſeipſum, qui putat ſe vitiis ſuis addictum & ſeruientem, ac verbi diuini præcepta pro libitu ſuo tranſgredientem, bonum eſſe Chriſtianum, Dei Filium, Profeſſorem verum, Catholicæ Eccleſiæ eſſentiale membrum, & hæredem vitæ æternæ. Bis autem peccat, qui ſeipſum paralogiſmis decipit: quia *errat*, & quia ſeipſum falsò ratiocinando *fefellit*. Cui Dominus bonas dedit aures, vt audiat, ei certè dedit bonum cor, vt credat & obediat. Quem Deus iuſtificat non imputando peccatum, ſed imputando iuſtitiam, eum verè ſanctificat, malitiam veterem vulnerando, & nouam naturam impertiendo. Quem Deus in filium adoptauit, ei Spiritum ſuum Sanctum inſpirauit. Si igitur immorigeri fuerimus, ſi

Rectè Hieron. ad Cteſiphontem, Hæc hominibus ſola perfectio eſt, ſi imperfectos ſe eſſe nouerint.

diui-

diuinas leges conculcauerimus, ſi vitiis ac idolis noſtris abominandis ſeruiuerimus, ſi vitam noſtram ad normam verbi diuini non formauerimus, licèt templum quotidie peteremus, licèt lectiones & conciones innumeras audiremus, eſſemus tamen miſera mácipia, & deteſtandi hypocritæ, glorioſis ſepulchris ſimiles, aut idolis, quæ oculos habent, & non vident: aures, ſed non audiunt: manus, ſed non operantur: & pedes, ſed non incedunt. Actores ergò ſimus ſermonis, & non nudi auditores. *Mater mea & fratres mei* (inquit Dominus) *ij ſunt, qui ſermonem Dei audiunt, & eum præſtant. Inde fælix eſt* (beata virgo) inquit Diuus Auguſtinus, *quia verbum Dei cuſtodiuit: non quia in illa Verbum caro factum eſt.* Cognatio Chriſti ſpiritualis multò fælicior eſt, multò commodior eſt cognatione aut conſanguinitate Imperatorum & Regum omnium ſecularium. Sis ſermonis diuini auditor diligens, ac fidelis cuſtos & actor, & es frater Chriſti, ſoror Chriſti, membrum corporis eius, ex carne eius, & ex oſſibus eius. Qui huius cognationis eſt, fælix eſt: qui verò extraneus eſt, etſi ſit filius Cæſaris, infœlix tamen eſſet, & miſeriarum plenus.

Luc. 8. 21.

Aug. ſuper Luc. c. 11.

Verſ. 23.24.25.

Nam ſiquis audit ſermonem, & eum non præſtat, is ſimilis eſt viro conſideranti faciem natiuitatis ſuæ in ſpeculo. 24. *Nam ſimulatque conſideravit ſeipſum, abijt, & oblitus eſt, qualis eſſet.* 25. *At qui introſpexerit in perfectam illam legem libertatis, & permanſerit, hic non auditor obliuioſus, ſed factor operis, beatus erit in opere ſuo.*

NOn ſolùm audiendum, ſed præſtandum eſſe ſermonem Dei duobus argumentis contenditur hîc à beato Iacobo. Nam nudus eius auditor homo vanus eſt, & ſibi ipſi prorſus inutilis. Viro enim ſimilis eſt illi, qui faciem ſuam in ſpeculo contemplatur, in-

terea verò nihil curat ſordes abſtergere & vitia formæ ſuæ emendare: ſed qualis acceſſit, talis à ſpeculo diſcedit, imò ſimul atque abiit, propter debilem in mente impreſſionem (ſicut in quibuſdam inſomniis accidere ſolet) oblitus eſt qualem ſeſe conſpexit.

Verbum Dei ſpeculum eſt puriſſimum, certiſſimum, veriſſimum. Nos nobis, tabes & ſordes noſtras nobis poteſt demonſtrare. Deum & officium noſtrum nobis oſtendit. In illo nos ſeriò conſideremus, & ſecundum eius normam animam vitámque componamus. Nævos, rugas, & ſordes, quas nobis demonſtrat, per pœnitentiam maturam ac veram abſtergamus. Verbum eſt ſpeculum, eſt ſpeculum tuum, ſi rectè vtaris, hoc eſt, ſi te in illo contempleris, vt emendes animæ ac vitæ tuæ formam. Faciamus igitur, quæ Deus in Scripturis nobis commendat. Præcones ſermonis libenter audiamus, & mandata Dei, quæ ab eis accipimus, ſtrenuè præſtemus. Pudeat nos aures conſecrare Deo, & manus Diabolo. Nihil prodeſt audiviſſe verbum, ſed præſtitiſſe. Vnde quæſo mors eſt in corpore, niſi quia non eſt ibi anima? Vnde autem mors in anima? Quia ibi non eſt verbum Dei, ſed expellitur, eiicitur, conculcatur. Multi boni volunt videri audiendo, quæ Dei ſunt, cùm mali ſint faciendo, quæ Diaboli ſunt. Auditores optamus, ſed bonos, ſed morigeros. Nobis non eſt opus auditoribus, qui parere ſermoni non nouerint. Qui ad ſpeculum accedit, & faciem ſuam in eo contemplatur, nihil interea cogitans de forma emendanda, nullum refert commodum, nullam reportat laudem, ſed ludit operam, non alius à ſpeculo diſcedens, quàm acceſſit: ſimiliter qui lectiones & conciones frequentat, & verbo Dei aures ſuas accommodat, nihil inde mercedis, præterquàm iram diuinam & ignem æternum, ſibi procurabit, niſi quæ præſtanda audit & intelligit, præſtare ſedulo ſtuduerit, & mores ſuos ad verbi ſpeculum formare laborarit.

Faciem

Faciem natiuitatis. Ideſt, natiuam, non fucatam, & adulterinam. Qui conſiderat faciem natiuam in ſpeculo, conſpicit opus Dei: quæ verò contemplatur fucatam, videt inuentum Diaboli. Ex abundantia cordis os fucatur. Si cor verum, mundum, & caſtum fuerit, nolles faciem tuam natiuam pictorio & tinctorio tuo adulterare, quod faciunt fœminæ impudicæ, fallaces, & faſtuoſæ multæ, ſed *Sara* nulla. Audias Dominam *Paulam*, quæ, vbi carnem mortificare didicerat, in hæc verba prorupit, vt fertur à Diuo Hieronymo: *Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa & ſtibio ſæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu.* Certè fucata facies nullatenus conuenit Chriſtiano qui ſincerus, caſtus, ac modeſtus, & eſſe & videri debet. Sed pergamus. Hieron. ad Euſtoch. Epitaph. Paulæ. Epiſt. 27.

Atqui introſpexerit. Hoc aliud argumentum eſt, quo conatur nos ad præſtandum ſermonem, quem audimus, excitare. Quia ſcilicet beatitudinem æternam conſequemur, ſi verbo diuino adhæſerimus, & quæ illinc diſcimus, præſtare opere perrexerimus. Ὁδὶ παρακύψας, qui inclinato capite accuratè introſpexerit in verbum Dei, vt per illud mentem ſuam, mores & vitam inſtituat, reformet ac dirigat.

In perfectam legem libertatis. Per legem intelligit doctrinam, ſiue ſermonem Dei. Hanc appellat *Perfectam*, quia pura eſt, ac immunis omnis erroris, & quia perfectam continet regulam fidei ac morum. Hæc lex, hæc doctrina perfecta, perfectè continetur in Sacra Scriptura, in qua inueniuntur ea *omnia, quæ continent fidem, moréſque viuendi. Per Scripturam enim Deus loquitur omne, quod vult*, ac in ea perfectè tradit, quæcunque tum ad vera dogmata cognoſcenda & ſtabilienda, falſa verò refellenda: tum ad malos quidem mores corrigendos, bonos autem inſtituendos, ſpectant, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus. Pſ. 19. 8. Pſ. 119. 143. Pſ. 719. 141. Aug. de Doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 9. Greg. mora. lib. 16. c. 16.

Legem hanc vocat *legem libertatis*, quia quo magis illi quisquam obsequitur & adhæret, eo magis se liberum esse demonstrat. Nemo enim verbo Dei delectatur, nisi qui Spiritu Dei liberatur. Seruius Dei est libertas: lex Dei est libertorum lux & via: hanc viam nulli amant & ex amore eunt, præterquàm quos Deus pro gratuita sua beneuolentia à seruitute carnis & Diaboli liberauit. Porrò, Euangelica lex liberationem nostram prædicat & operatur.

Et permanserit. Id est, & perseuerauerit credere & obedire verbo Dei, nec ab eo recesserit, sed constanter præcepta eius exequi laborauerit.

Hic non auditor obliuiosus, qui sinit volucres inferni sibi verbum auribus immissum eripere: *sed factor operis*, fidem suam factis exprimens, & ea, quæ lex imperat, præstare cogitans ac nitens, *beatus erit in opere suo*, hoc est, ita se gerens verè beatus erit, certò recipiet benedictionem à Deo. Heb. 6. 7.

Qui introspexerit in legem. Licet igitur introspicere in legem Domini: quidni igitur in Scripturas, quæ legẽ hanc continent & declarant? Licet? Imò oportet. Scrutamini Scripturas, inquit Christus.

Perfectam legem. Lex Dei perfecta est, vna est, eadem semper est, & sibi semper similis: eam igitur diligamus, & exequi studeamus. Qui perfectionem amant, & perfectos esse cupiunt, perfectam hanc legem Dei amabunt, eique per omnia obedire studebunt. Porrò, legi, quæ perfecta est, nemo præsumat addere. Audent tamen *Papicolæ* multa adiicere huic legi perfectæ, quæ continetur in Scripturis sacris, quas perfectam normam fidei ac morum esse testantur Antiqui Patres & Pastores contra nouitiam Pontificiorum sententiam, qui affirmant Scripturam perfectam fidei regulam non esse, sed multa esse fidei dogmata ad salutem necessaria, quæ in sacra Scriptura contineri negant.

Legem libertatis. Lex Christi, lux Christiani: si filius es lu-

es lucis, luce delectaris, lucem amas, & tenebras auersaris. Euangelium Christi pacem & libertatem nobis indicat & offert: si pacem igitur & libertatem poscimus, euangelium recipiamus, & amplexemur. Deo seruire est liberum esse ac regnare: Dei lex est lex libertatis: si vis igitur demonstrare te liberum esse ac regem, legem hanc amato, & quæ sibi præcipit, exequi studeto, quando autem peccas, pœnitentiam agito, & veniam à Deo petito. E contrario, leges carnis ac Diaboli leges sunt seruitutis & mortis: qui custodit eas, mancipium vile est, & hæres æternę mortis, vbi nulla erit spes boni, nulla desperatio mali. Legem hanc impij non amant, quia vincti sunt, nec ingratiis, & vinculis suis oblectantur, vt lunatici.

Et permanserit. Requirit lex vt in lege perseueremus, ac vt fixi persistamus in Dei cognitione & obedientia. *Si vos manseritis* (inquit Christus) *in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Non es discipulus Christi, nisi Christum constanter audias, & in doctrina eius permaneas. Ioh. 8. 31.

Quisquis (inquit Iohannes) *transgreditur, nec permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* Qui autem Deum non habet, is certè diabolum habet. Qui non habet Deum, neque semetipsum habet, sed perdidit. Quid autem proderit homini habere omnia, si Deum, qui omnia dedit, non habet? *Qui* (verò) *permanet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.* Habet Patrem, à quo exire, mori: & in quem redire, reuiuiscere: & in quo habitare, viuere est. Habet Filium, in quo omnia habebit, cibum, vt alatur; medicamentum, vt sanetur; vestes, vt tegatur; patrocinium, vt defendatur; vitam, ne in æternum moriatur. 2. Ioh. 9.

Satius fuisset. (inquit Petrus) *non cognouisse viam iustitiæ, quàm cognita illa regredi à sancto mandato sibi tradito.* 2. Pet. 2. 21.

Spreuisti, inquit Dauid, *omnes discedentes à iudiciis tuis.* Psal. 119. 117.

Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, in iniustitia, quam operatus est, morietur. Ezech. 18. 26.

Perseueremus igi-

tur in omni doctrina Dei, mandatis eius firmis animis adhæreamus, technis nullis decipiamur, nemo nos terreat, nec circumueniat; sed officij nostri semper memores, constanti amore, & obsequio, *Legem diuinam* nobis per Scripturas traditam, colamus & prosequamur.

Vt autem in lege Dei permaneamus, legem simpliciter amemus; in ea delectemur, quia lex vera, æqua, & diuina est; apud nos seriò ac sincerè statuamus eam ad mortem custodire; denique à Deo feruidè petamus donum perseuerandi, petamus inquam supplicitèr, assiduè, necnon cum fide vera. Talis enim oratio est instar clauis cuiusdam, per quam thesauros Dei potest homo pius, & inopię suæ sensu affectus, aperire, & ex illis accipere, quicquid sibi commodum erit ad æternam salutem consequendam.

Hic non auditor obliuiosus. Qui intenderit in legem Dei, & in eis manserit, quę didicit, hic non est auditor obliuiosus. Audis legem Christi, intelligis, in memoria habes; benè est: intereà verò præcepta eius licenter violas, ea præstare non curas, peccare non formidas: dico tibi, Auditor es obliuiosus, realiter oblitus es legis, ac officij tui. Cæterum hæc tua obliuio ex te est, culpa tua est, non Dei, non legis. Similis es agro iuxta viam constituto, vel plateæ, venit Diabolus, & rapit, quod satum est in corde tuo.

Auditores obliuiosos, qui sermonem Dei oscitanter audiunt, & factis negant, videmus vbique, & dolemus. Nam profana istæc obliuio legis argumentum est impij ac impuri cordis, & indicium futurę destructionis. De filiis *Heli* hūc in modum loquitur Scriptura: *Non audierunt vocem patris sui; quia voluit Dominus occidere eos.* Dominum votorum & orationum nostrarum immemorem esse nolumus, ne simus igitur præceptorum eius obliuiosi auditores. Iure enim potest par pari referre, & horrendum est in manus eius incidere. *Et factum est sicut loquutus sum, & sicut non audierunt: sic cla-*

Tit. 1. 16.
Rom. 1. 8.
1. Sam. 2. 25.
Zach. 7. 13.

ſic clamabunt & non exaudiam, dicit Dominus exercituum: hoc eſt, ſicut auditores obliuioſi fuerunt mei: ita ego ero auditor obliuioſus eorum. Sicut illi noluerunt præſtare, quæ audierunt à me: ita nec ego præſtabo, quæ poſtulant à me. Perpendamus item, quæ Sapientia comminatur auditoribus ſommiculoſis & obliuioſis, ac vocis ſuæ contemptoribus, comedent fructus viæ ſuæ: mercedem condignam obliuionis & contemptus ſui reportabunt, ſuiſq; conſiliis ſaturabuntur. Prou. 1. 24. 28.

Vt autem ſimus auditores memores, hoc eſt, vt opera noſtra teſtentur diuina monita ac præcepta, quæ audiuimus, ex animis noſtris non effluxiſſe, ſed pectoribus inhærere, oremes Duem, *qui dat incrementum*, vt Spiritum ſuum Sanctum nobis inſpiraret, & benedictione gratiæ ſuæ nos adornaret, vt verbum radices firmas in nobis agat & fructificet. A Deo habemus & velle benè, & operari benè: Deum igitur oremus vt circumcidat aures noſtras ac corda, vt bonis auribus audiamus legem, vt bonis animis ſuſcipiamus ac recondamus legem, atque vt non ſolùm, quæ Dei ſunt, velimus & exoptemus, ſed etiam repræſtemus, & opere exequamur. Nam bonis operibus cælum, bonis verbis & nudis propoſitis ac votis plenus erit infernus. 2. Cor. 3.

Sed factor operis. Is factor operis habetur, qui non eſt legis obliuioſus auditor, ſed ſtudioſus diſcipulus. Is factor hîc appellatur, non qui perfectè legem implet: ſed qui implere cupit & laborat. Is factor habetur, qui facere, quę Deus requirit in lege, incipit, & vbi inceꝑit, pergit: cùm autem peccauerit, ad pœnitentiam confugit, reſipiſcit, lapſum ſuum fatetur, orátq; à Deo veniam, quàm pro ſua miſericordia non negabit, niſi perſeuerabit in errore. Lex libertatis requirit veram fidem, veram obedientiam, veram pœnitentiam: is igitur factor legis verus eſt habendus, qui credit in Chriſtum, qui eſt iuſtitia Chriſtiani, & impletio legis Aug. cap. 36. de ſpir. & lit. In ea, quæ perficienda eſt iuſtitia ille multum quàm longè ſit à perfectione iuſtitiæ proficiendo cognouit.

Rectè alibi Iacobus, in multis offendimus omnes. Iac. 3. Sic Hieron. in Gal. 3 Nemo ſeruat legem. Similiter Aquin. in Gal 3. lect. 4. Implere totam legē eſt impoſſibile. Ita etiā profecit, qui

omni credenti, & fidem ſuam ſincera obedientia ac charitatis operibus teſtatam facit; & cùm fortè aut re aut verbo lapſus fuerit, ſtatim reſipiſcit, veniam poſcit, & auxilium Spiritus. Hic ille eſt, qui in legem libertatis introſpicit, & in ea perſeuerat, alta mente recondens, quæ in ea traduntur. Hic autem beatus erit in opere ſuo. Nam non nudos auditores legis, ſed factores manet æterna vita. *Non quiſquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cælorum, ſed qui facit, quod vult Pater meus, qui in cælis eſt.* Hoc ille facit, qui credit in Chriſtum, & fidem ſuam bonis operibus exprimit, & in amaritudine animæ ſuæ recogitat peccata ſua, & errores plangit, ac indulgentiam diuinam petit. Hæc *via* eſt æternæ beatitudinis, qua qui non cogitat ire, non poterit ad beatam vitam, & regnum cæleſte peruenire. In actione conſiſtit beatitudo, non in frigida auditione. Beatus eſt, qui audit legem Dei, & eam cuſtodit: beatus, qui audit bona, & bona facit. Nihil prodeſt facienda audiuiſſe, & non facere: nihil prodeſt, quæ Dei ſunt, audiuiſſe, & quæ Diaboli ſunt, facere. Vult Deus nos legem audire, & quæ lex præcipit, facere: vult aures noſtras, vult etiá manus: habeat: quæ Deus coniunxit, nemo præſumat ſeparare.

Matth. 7.

Noſtra Obedientia eſt via fœlicitatis, non meritoria cauſa. Nam per iuſtitiã factorũ nullus ſaluabitur, ſed per ſolam iuſtitiam fidei, Beda in 77. Pſ. Sic Paulin. apud Aug. Epiſt. 48. Salus fide ſola quæritur.

Interea tamen nemo putet ſe iuſtificatum eſſe ac beatitudinem promereri bonis operibus, ac ſi iuſtitiam ac vitam æternam propter merita noſtra recipe-remus. Nam ſola iuſtitia Chriſti nobis imputata ex mera gratia, ac fide ſincera apprehenſa, iuſtificat nos coram Deo, & æternæ gloriæ participes reddit. *Ipſa noſtra iuſtitia, quamuis vera ſit propter veri boni finem, ad quem refertur: tanta tamen eſt in hac vita, vt potius remiſſione peccatorum conſtet, quam perfectione virtutum*, vt inquit D. Auguſtinus. Et videamus ipſius confeſſionem & ſpem: *Tota ſpes mea eſt in morte Domini mei. Mors eius meritum meum eſt, refugium, ſalus, vita, & reſurrectio mea. Meritum meum miſeratio Domini. Non ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum dominus non defuerit. Et ſi miſericordia Domini mul-*

Quid ſunt merita omnia ad tantam gloriã? D. Bernard. Ser. 7. de Annunt. Proſ. per ait operarios accepiſſe donũ gratiæ, non mercedem operis. De vocat. Gent. c. 17. Aug. de ciu. dei. l. 19. c. 27 Aug. in Manuali. c. 33.

mi multa, multas ego ſum in meritis. Multorum ſum mihi conſcius delictorum, nec ſic deſpero: quoniam vbi abundauerunt delicta, ſuperabundauit & gratia. Qui de venia peccatorum ſuorum deſperat, me negat Deum eſſe miſericordem. Hæc D. Aurel. Auguſt. Sic Bern. *Bona opera*, inquit, *non ſunt cauſa regnandi, ſed via regni. Hominis iuſtitia, indulgentia Dei*, Bern. ſer. 23. in cant. Similiter Hieron. *Abiecta eſt gratia, ſi mihi ſola non ſufficit.* Aug. 76. c. 23. Hieron. in Gal. 2.

Caueamus igitur nobis à faſtu proprio, ac technis Diaboli. Ædificat ſuper arenam, qui iuſtitiæ ſuæ perfectionem ac operum merita ſtabilit, & in eis fiduciam ſuam reponit. *Tutiſſimum* (inquit Ieſuita) *eſt fiduciam totam in ſola dei miſericordia, & benignitate reponere.* Bellarm. Iuſt. l. 5. c. 7. Væ enim ſanctiſſimis hominibus, ſi Deus eos iudicet, miſſa miſericordia. Ipſa iuſtitia noſtra ad examen diuinæ iuſtitiæ deducta iniuſtitia eſt: & ſordet in diſtrictione iudicis, quod in æſtimatione fulget operantis. Greg. mora. lib. 5. c. 7. Baſil in Pſa. 114. Manet (ingenuè fateor cum Baſilio) ſempiterna requies illos, qui legitimè in hac vita certauerint, non tanquam debitum operibus redditum, ſed ob munificentiſſimi Dei gratiam. Non igitur in virtutibus, non in fletibus, non in actibus noſtris, ſed in Aduocati noſtri mediatione confidamus. Huic nos totos committamus, hunc induamus, eíq; nos totos inuoluamus. Si Dominus nos voluerit iudicare, dicamus cum Anſelmo: *Domine, mortem Domini noſtri, Ieſu Chriſti, obiicio inter me & te, & iudicium tuum: aliter tecum non contendo.* Nam tranſgreſſores ſumus omnes, & cunctorum in carne perfectorum imperfecta perfectio eſt.

Verſ. 26.

Si quis videtur religioſus eſſe inter vos, non frænans linguam ſuam, ſed ſuum ipſius cor ſeducens, huius vana eſt religio.

MVlti ſunt, qui iactant fidem ac religionem ſuam, interea tamen intemperantia linguæ, & aliis

malis moribus, animi profanitatem & hypocrisin produnt. Contra hos disputat hic Beatus Iacobus.

Siquis videtur religiosus esse. Hoc est, si quis vel sibi vel aliis videtur deuotus, pius, Dei cultor: si quis speciē habet sanctimoniæ, si quis putat se vera pietate præditum esse.

Non frenans linguam suam. Nec regit & fræno ducit linguam suam, veram animi interpretem ac sequacem, hoc est, non sibi temperat à conuitiis & obtrectationibus, sed aliorum famam lacerando se iactat, & maledicendo se oblectat. *Suum ipsius cor seducens*, sibi ipsi blandiendo, ac plus æquo indulgendo, & de seipso non rectè iudicando. Solent enim homines maledici, & detractores, vitiis propriis parcere, & immodico sui amore occæcati, longè se præstantiores esse, quā sunt, persuadere. Imò quia nō conspiciunt manticam à tergo pendentem, neque norunt, quàm sit sibi curta supellex, ideò veniam aliorum aut omninò contemnunt, aut se ea indigere non agnoscunt, atque adeò falsa de se opinione turgentes, alios vituperant & mordent, vt gloriam & laudem suam extruant & stabiliant.

Huius vana est religio. Hoc est, non verè & sincerè colit Deum, non est verè religiosus, neque fructum aut emolumentum capiet ex speciosa sua professione. Nam si Dominum sincerè coleret, homines ad imaginem Dei factos & refectos, sincerè etiam diligeret, nec maledica lingua eos accusaret. Qui dixit *Diliges Deum*, is dixit etiam *Diliges Proximum*. Qui iubet *Benedicere Deo*, prohibet item *detrahere & maledicere vicino*. Vnus & idem Dominus omnia hæc præcepta nobis dedit: qui ergo in vno aliquo præcepto Deum non colit & reueretur, in nullo verè colit, sed verus est hypocrita, & se ipsum miserè fallit, si se religiosum esse iudicet. Discamus igitur omnes linguam frænare, ac proinde animum custodire. Nam ex malo corde nascitur malitia linguæ. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

loquitur. Ex corde oritur detractio, blasphemia, mendacium, loquacitas, turpiloquium: imò vniuersa linguæ mala, quæ magna & multa esse constat, ex hoc fonte fluunt & ebulliunt. Linguam nobis dedit Deus, ac proinde Deum lingua glorificare debemus. Qui linguam suam non frænat, sed mendaciis, conuitiis, & obtrectationibus suis fratri suo iniuriam facit, Deum non glorificat, sed honore debito priuat, & verum eius timorem expectorat. Verbum Dei non tantùm benè agendi, sed etiam benè loquendi regulam præscribit: oportet igitur Auditoribus verbi non solùm manus suas regere, sed etiam linguas frænare, ac proinde omnes prauos affectus mortificare.

Vtilitas linguæ hominis est, gloria vero Dei.

Linguas ac labia nostra fecit Dominus: Domino igitur non modò manus, sed linguas etiam consecrare debemus. Vult Deus non solùm opera nostra, verùm etiam verba bona ac honesta esse: vult nos totos bonos esse & videri, tacentes & loquentes, agentes & patientes. Inanis eius est fides ac religio, nihil est, qui vitiis linguæ deditus est. Qualis enim est sermo, talis est homo. Non est igitur fidelis, non est religiosus, qui sermonibus & verbis se oblectat, in quibus non est fides, non est religio, sed mendacia, scurrilitas, obscænitas, iactantia, virulentia & odium in proximum. Quia autem magis est linguam frænare, & animum moderari, quàm ciuitatem capere, precandum est vt Deus animos & linguas nostras Spiritu suo sanctificet ac custodiat, & omnes prauos motus sistat ac compescat manu virtutis suæ. Optimè Dauid. *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis.* Et quia nemo potest esse tam prudens, tam circumspectus, vt non aliquando labatur: quicunque igitur verbis suis peccauerit, referat pedem, séq; quam primùm recipiat, ac reformet. Hoc opus, hic labor est. Hoc si quis nolit facere, sciat se vanum esse Professorem fidei, ac detestabilem hypocritam, etiamsi non sit

Psal. 39.1. Psal. 141.3.

adulter,neque latro, neque ebrietati aut auaritiæ deditus,quin potius externa pietatis & zeli ſpecie fulgeat,craſſioribus vitiis derelictis,& amandatis.

Verſ. 27.

Religio pura & impolluta apud Deum & Patrem, hæc eſt,viſitare orphanos & viduas in afflictione ipſorum,& immaculatum ſeſe ſeruare à mundo.

Elus vanam eſſe religionem dixit, qui linguam ſuã non frænat,ſed habenas laxas ei dando laſciuire ſinit:quod verum eſſe liquet,cùm religionis ſit immaculatum ſeſe ſeruare à mundi pollutionibus & ſordibus vniuerſis, ideóque obtrectationes,conuitia, maledicentiam omnem,blaſphemias,mendacia,turpiloquium, & reliqua linguæ vitia, quibus hypocritæ,ac homines non renati, miſerè laborant,fugere & auerſari.

Religio eſt verus cultus veri Dei: qui autem vere
Ioh.5. colit Deum,verè amat Deum, verámque ei obedientiam exhibet.*Hæc eſt enim charitas Dei,vt mandata eius ſeruemus:* prohibet autem Deus petulantiam linguæ.

Religio vera religat & obſtringit animam Deo, cui nos ſeruire vt Domino, obſequi vt Patri neceſſe eſt. Non autem is coniungitur & religatur Deo,qui mandata Dei ſpernit,ac dictata & rationem carnis admittit,Proximorum famã conculcans, & laudem captans ex eorum vituperio.

Religio pura & impolluta. Hoc eſt,vera, ſincera,aliena à ſordibus,ſcoria,& lolio carnis & ſpiritus.

Apud Deum & Patrem. Id eſt, apud Deum,qui Pater eſt ſummus,optimus,æternus; *Chriſti* per æternam generationem; *Chriſtiani* per gratiam ſuam,qua nos adoptauit ſibi in Chriſto, in quo acquieſcit; quem quùm intuetur, omnem in nos conceptam indignationem deponit. *Apud Deum,* inquit,hoc eſt,coram Deo,in oculo

culo & iudicio Dei: non miſelli alicuius hominis,qui falli ac ſeduci poteſt,ſed Dei ſapientis, omnia,etiam ſecretiſſima, cernentis, & vbique ſemper præſentis.

Hæc eſt. Apoſtolus non perfectè explicat quid ſit religio per genus & formam:ſed eam viuis coloribus depingit,duas eius proprietates ſiue effecta declarans, miſericordiam ſcilicet & ſtudium puritatis, officia planè viri religioſi, quæ otioſi verbi auditores & hypocritici Profeſſores verè parui pendunt, aliiſque relinquunt.

Miſericordiæ opera facere,& inquinamenta mundi vitare, & puritati ac innocentiæ operam dare & ſtudere,non hæc religionem conſtituunt, ſed declarant:non faciunt religioſum,ſed demonſtrant. Religioſus quædam arbor eſt,arbor iuſtitiæ: miſericordia, innocentia,puritatis ſtudium poma ſunt.Poma autem non faciunt arborem,ſed arguunt:arbor verò clementia cœli poma facit,ſeu producit.

Viſitare. Id eſt,curare,releuare,adiuuare miniſtrando cibum,potum,veſtitum,conſilium,hoſpitium,& alia neceſſaria,tum corporalia,tum ſpiritualia: atq; hoc facere animo pio ac ſincero propter Deum Patrem, ac Dominum noſtrum *Ieſum* Chriſtum, qui viſitauit nos in abiectione & paupertate noſtra.

Orphanos, Hoc eſt, pupillos,parentibus ſuis orbos,& *Viduas*,mulieres illas, quæ maritis ſuis priuantur. Eſt Synech.ſpeciei: viduas & orphanos dicit, ſed omnes pauperes & egenos,qui auxilij & ſubſidij noſtri indigent,intelligit.

In afflictione ipſorum. Hoc eſt, cùm affliguntur paupertate,morbis,aut viribus & artibus aduerſariorum, qui eos opprimere & vorare nituntur, vel cùm exercentur vllis alijs aduerſis. Religio non eſt viſitare viduam viribus & opibus florentem, ſed abiectam,pauperem,amicis deſtitutam. Non deſunt,qui orphanos potentum ac diuitum viſitant & excipiunt,intereà ve-

rò pupillos pauperes & calamitatibus mundi expositos negligunt, prætereunt deserunt. Hæc non est religio pura, sed purus contemptus Dei, qui est Pater Orphanorum, & Iudex viduarum.

Et immaculatum seſe seruare à mundo, Id est, ab inquinamentis & sordibus mundanis, auaritiâ scilicet, superbia, iactantia, scortatione, obtrectatione, periurio, sacrilegio, contemptu Dei & Ecclesiæ, & vniuersis illis peccatis, quibus homines huius mundi, qui totus in malo iacet, & malo subiacet, polluntur.

Hîc non pauca notatu digna sunt.

1. Religionem esse. Hoc qui negat, negat Deum; est reuera ἄθεος.

2. Vt est quædam impura & falsa religio, hæreticorum scilicet & superstitiosorum omnium, qui superstitiosis moribus, & erroribus variis inquinantur: ita est etiam religio pura, vera, & impolluta, qua imbuuntur soli pij & orthodoxi Christiani, qui *Trin vnum* Deum ex corde colunt secundum Scripturæ præscriptum, & fidem ac charitatem suam erga Deum exprimunt misericordiæ operibus in afflictos, & custodia animi & vitæ, ne peccatis mundi sordidentur.

3. Deum Patrem esse, ac proinde Deum Filium esse. Si enim pater est, est etiam filius. Attamen cum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diuersum dicimus, nec vrumq; secernimus: quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius à Patre secerni: siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cùm igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem, vna vtrique mēs, vnus spiritus, vna substantia est: sed *Ille* quasi exuberans fons est, *Hic* tanquã defluens ex eo riuus; ille tanquam sol, hic tanquam radius ex sole porrectus: qui quoniam summo Patri & fidelis & charus est, non separatur, sicut nec riuus à fonte, nec radius à sole: quia & aqua fontis in riuo est, & solis lumen in radio æquè. Fas non est horum personas separare, nec deorum pluralitatem credere. Vnus est

nus est enim solus liber Deus, summus, carens origine: quia ipse est origo rerum, & in eo simul, & Filius, & omnia continentur. Quapropter cùm mens & voluntas alterius in altero sit, vel potius in vtroque vna, meritò vnus Deus vterque appellatur: quia quicquid est in Patre, ad Filium transtulit, & quicquid in Filio, à Patre descendit.

Non potest igitur ille summus ac singularis Deus nisi per Filium coli. Qui solum Patrem se colere putat, sicut Filium non colit, ita nec Patrem quidem colit. Qui autem Filium suscipit, & nomen eius gerit, is verè cum Filio simul & Patrem colit: quoniam legatus, & nuntius, & sacerdos summi Patris est Filius. *Hic templi maximi ianua est, hic lucis via, hic dux salutis, hic ostium vitæ.* Lactant. de vera sap l. 4. c. 29.

4. Non laborandum esse quid hypocritæ & superstitiosi, quidam religionem esse aiunt & arbitrantur, sed quid illa sit in conspectu Dei in Christo Patris nostri clementissimi, ac Iudicis iustissimi. Nam quod homines amant, mirantur, plurimi pendunt, & iustificat, Deus non rarò odit, spernit, & condemnat. Abominabile est sæpè coram Deo, quod amabile & desyderabile videtur coram homine. Sæpiùs id displicet hominibus, quod placet Deo, & contra.

5. Placet Domino Opt. Max. creaturas suas affligere quandoque, imò eas, quæ per ætatem suam, & infirmitatem sexus, aut tenuitatem & abiectionem status (puta viduas & orphanos) vires aut omninò nullas, aut perexiguas habent, quibus se iuuare & liberare poterint. *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* At audi: etiamsi pupillos & viduas affligit, nihilo tamen minùs eos suscipit & defendit: clamores eorum exaudit, & oppressores eorum iudicat, & pœnas de eis sumit. *Viduæ* (inquit Deus) *& pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pu-*

Psal. 145. 18.

Exod. 22. 22, 23, 24.

pilli; Hæc Deus iuſtus & magnus.

6. Mundum immundum eſſe, polluere. Creatura Dei bona eſt, munda eſt: ſed mundus, qui polluit, omne illud eſt, quod regno Dei opponitur: non eſt creatura Dei, ſed opus diaboli. Certè caro mundus eſt, diabolus mundus eſt, peccatum mundus eſt, vitium mundus eſt, vitioſi habitus & actus mundus eſt, malitioſi, maligni, maledici & impuri homines mundus eſt. Illud hîc mundus eſt, quicquid immundum & impurum eſt, quicquid animam ac vitam hominis maculat & immundam facit. Mundum igitur, qui in mundo viuimus, caueamus: carnem, qui in carne ſumus, caueamus: principem aëris, qui in aëre verſamur, caueamus: ſumamus ſcutum fidei, quo poſſimus omnia iacula *mali* illius ignita extinguere, ac ab illo nos immaculatos cuſtodire.

7. Religio, quæ placet Deo, & pura eſt in eius oculis, non conſiſtit in cæremoniarum pompa, nec in nuda ſcientia, & auditione verbi: ſed in charitate, miſericordia, & cuſtodia cordis ac vitæ. Hæc vera eſt religio miſeris ſuccurrere, perituris opem ferre, pauperibus ſubuenire, pupillos alere, viduas protegere, preſſos alleuare, afflictos liberare, rudes docere, & ſeſe incontaminatum ſeruare. Is verè religioſus eſt habendus, qui hæc facit ſincerè, humiliter, & ex animo erga Deum grato, ac pietate affecto.

Si vis igitur religionem tuam probare, viſites afflictos, nec non immaculatum temet ipſum à mundo ſerues.

Ad primum quod ſpectat: Sis inquam miſericors, miſeris ſuccurrito, viduas & orphanos viſitato, pauperes ſubleuato. Eſto pater orphano, maritus viduæ, patronus pauperi, cõſiliarius imperito, hoſpes peregrino.

Nihil certè magis commendat Chriſtianum, quàm miſeratio charitatis Chriſtianæ. Chriſtiani nomen non meretur, qui Chriſtiani fratris non miſeretur. Ille verè Chriſtianus eſt, qui pauperes fouet, qui miſeris ſub-

ſubuenit, qui opera miſericordiæ facit. Chriſtiani nomen glorioſum nomen eſt: atqui gloriam nominis amittit, qui miſericordiæ opera omittit. Nil prodeſt homini vocari, quod non eſt, ac nomen vſurpare alienum: ſi igitur Chriſtiani volumus vocari, quæ Chriſtiani ſunt, faciamus, vt verè id eſſe, quod videri nos delectat, demonſtremus.

Opera miſericordiæ in Dei honorem facta iuſtum declarant. *Iuſtus* (enim) *miſeretur: & tribuet: tota die miſeretur, & commodat. Diſperſit, dedit pauperibus.* Iuſtus ergo non eſt, qui pauperes & afflictos deſpicit, qui miſeris non ſuccurrit, qui viduas non inuiſit, qui pupillos pro virili non defendit. Sit auditor concionum, ſit profeſſor pietatis, iactet fidem & iuſtitiam ſuam, eſt tamen hypocrita, fœdus hypocrita, negat fidem, neſcit virtutem pietatis, ſi afflictos intereà negligit, & miſeris non ſuccurrit. Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui decimatis mentham, & reliquiſtis miſericordiam. Portio autem hypocritarum erit in gehenna, vbi erit fletus & ſtridor dentium, fletus quidem ex dolore, ſtridor dentium ex furore: ibi luent pœnas hypocriſeos ſuæ in æternum. Morientur enim, & viuent: tormenta ferent, & non extinguentur: conſideretis hæc, qui obliuiſcemini Deum, nequando rapiat, & non ſit, qui eripiat. Pſal. 37. Pſal. 111. Matth. 24. 51.

Qui verè in Deum credit, Deum verè diligit: qui autem Deum verè diligit, is proculdubiò hominem, qui factus eſt ad imaginem Dei, verè quoque diligit. *Qui verò habuerit mundanum victum, & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua coram eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Chriſtus eſt in omnibus membris corporis ſui ſpiritualis: non eſt germanus Chriſtianus, qui non eſt pars Domini noſtri *Ieſu* Chriſti: proinde non diligit Chriſtum, qui non ſuccurrit Chriſtiano. Chriſtus patitur in membris ſuis, affligitur in Eccleſiæ filiis, qui afflictiones ferunt, & aduerſis premuntur: qui igitur horum non miſeretur, qui opera miſericor- 1. Ioh. 3. 17.

diæ his non pro ratione proſperitatis, quam à Deo obtinuit, is nec Chriſtum curat, ſed negat. Non amat, non honorat Chriſtum, qui Chriſti membra, cùm premuntur, non viſitat, & facultatibus ſuis (quantum vires patiuntur) ſubleuat. E contrario, benefacit Chriſto, qui benefacit Chriſtiano: dat Chriſto (cui nihil addi poteſt) qui dat Chriſtiano. Honorat patrem, qui miſereſcit filiis laborantibus. Caput colit, qui membra curat. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Fœneratur Chriſto, qui ſuccurrit Chriſtiano: & viciſſitudinem ſuam reddet ei Chriſtus. *Qui prohibet te eſſe fœneratorem, ille iubet te eſſe fœneratorem.* Fœnerare Chriſto: ne fœnereris Chriſtiano. Capiti licet, neceſſe eſt: non licet tibi membris fœnerari.

Pro. 19. 17.

Aug. in Pſa. 36.

Sed Deus fortè non curat, non videt miſericordiam tuam, opera tua bona paruipendit, non compenſabit. Si hoc putas, atheus es: ſi dicis, blaſphemus es. Firmiſſimè crede Dominum te & pietatem tuam penitiſſimè videre, atq; munificentiſſimum remuneratorẽ eſſe bonorum, affectuum ac operum. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliniſcatur operis veſtri, & laborioſæ charitatis, quam demonſtraſtis erga ipſius nomen, vt qui miniſtrauerit is ſanctis, & miniſtret is.*

Heb. 6. 10.

Opera miſericordiæ firma Spiritus Dei in nobis habitantes, ac proinde ſalutis nobis donandæ teſtimonia ſunt. Vult igitur Apoſtolus diuites faciles eſſe ad impertiendum, ac diuites operibus bonis, quò ſibi recondant fundamentum bonum in poſterũ, vt apprehendant æternam vitam. Theſaurus cæli eſt manus pauperis: quod ſuſcipit, ne in terra pereat, reponit in cælum. *Theſaurizate* (inquit Dominus) *vobis theſauros in cælo.* Manus pauperis eſt gazophylacium Chriſti: quia quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terrã, vt accipias cælum. Da nummum, vt accipias regnum. Da pauperi, vt det tibi? quia quicquid pauperi dederis, tu habebis. Da panem tuum eſurienti

2. Tim. 6. 18.

Pet. Chryſo. de elemes. ſer. 2.

Matth. 6.

rienti Christiano,& Deus tibi dabit Christum panem æternæ vitæ. Dabis egeno subsidia vitæ terrestris,ac dabit tibi Deus gaudia vitæ cælestis.

Variæ sunt hominum visitationes,varia opera. Visitat hic parentes & amicos suos, ille extera regna, & loca remota: alius fundum emit,alius domum ædificat: ille ciuitatem capit,iste agrum colit. Cæterùm peribunt omnia hæc opera. Nihil est enim opere & manu factum,quod non conficiat & consumat vetustas. Atqui Deus operum misericordię,quę pij præstiterunt,nunquam obliuiscetur, misericordes nũquam abiiciet:morientur, imò non morientur, sed requiescent à laboribus suis,& opera eorum sequentur eos. Benefecerunt afflictis, ac benefaciet eis Deus: in die iudicij dicet iis Christus, *Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iacto mundi fundamento.* Matth.25. Potest homo inuisere regiones exteras, ac in earum visitatione perire: at qui visitat viduas & orphanos in ipsorum afflictione, non peribit in æternum. Arator terræ, aut qui boues & oues pascit,seu mercaturam & artes mechanicas exercet,perire potest,& damnari: sed qui pauperibus de suo largitur, qui afflictis misereſcit, qui pupillos & viduas destitutos & auxilio indigentes tuetur atque defendit, qui carnam suam non contemnit, ille certè charus & acceptus Deo est, (quisquis ille fuerit:) gloria Domini colliget eum, Deus ei requiẽ dabit, & implebit animam eius splendoribus: inuocabit, & Dominus exaudiet:clamabit, & Deus dicet, *Ecce adsum:* & erit quasi hortus iriguus,& sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Esai.58.

Mala morte mortuos multos legisse D. Hieronymum non est dubium:at *Non memini* (inquit) *me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.*

Damnandi igitur sunt omnes hypocritæ,qui purita-

tem ac fidem iactant, & Christiani nomen vsurpant, interea verò arbores sunt infructuosæ, foliis duntaxat & quintinis decoratæ. Pauperes non curant, pupillos non defendunt, viduas despiciunt in ipsarum afflictione, miseris non subueniunt. Supplicia dura hos manent. *Execrati, dicet eis* Dominus, *Abite à me in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Matth. 25.

Si autem in ignem coniicitur, qui non dedit bona sua, vbi putas coniiciendus erit, qui inuasit aliena? Si qui non fregit panem suum, pœnas æternas dabit, quantos feret cruciatus, qui sustulit alienum? Si cum diabolo ardebit, qui nudum non vestiuit, vbi putas arsurus est, qui expoliauit? Si qui non tulit opem pauperibus, nec eos subleuauit, perditur, Deus in eos proculdubiò atroces pœnas exercebit, qui pauperes oppresserunt. Si sterilitas in ignem mittitur, crudelitas, iniquitas, & rapina grauissimis suppliciis certissimè punientur. Vide Amos. 4. 1, 2. est 1. Cor. 6. & Pro. 22. 16, 22.

Caueant igitur, diligenter sibi caueant fœneratores & oppressores vniuersi. Virgæ estis (fateor) quibus Dominus suos castigat: atqui vos ipsi in ignem (ni pœnitentiam maturam agatis, ac eleemosynis peccata vestra diluatis) in ignem inquam inextinguibilem propediem mittemini. Vexatis egenos, ita vexabit vos Dominus. Non respicitis, non adiuuatis pauperes: sic vestris vos legibus iudicabit, vos non respiciet, non adiuuabit, sed exulabitis contempti in æternum. *Viuitis*, floretis. Erratis, mortui estis, flore vaniores estis. Mala semper est ratio fœnerantis, vt aut miser sit amittendo, quod dedit, aut miserior accipiendo, quod non dedit. Multiplicatur quidem facultas iniustis & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit: quoniam *famus pecuniæ fames animæ.* Leo. Mag. de iciun. 10. mens. serm. 6.

Christiani estis, baptizati estis, auditores verbi diuini estis. Hypocritæ estis, Deum factis vestris negatis qui fœnore & vi torquetis ac affligitis egenos. Audiatis quæso Bernardum: *Taceo* (inquit) *quod, sicubi desunt Iudæi,* Bernar. Epi. 111. ad Spirenses.

Iudæi, peius Iudaizare dolemus Christianos fœneratores. Sitamen Christianos, & non magis baptizatos Iudæos conuenit appellare. Auscultetis Caluinum: *Certè fœnerator semper erit latro: hoc est, qui quæstum faciet ex fœnore ille prædo erit.* Verè autem D. Augustinus ait, *Dum vis esse prædo, factus es præda.* Iniusti enim, vt latrones, rapaces, auari, regnum Dei non sunt possessuri, sed in ignem infernalem abituri, inde nunquam exituri. Rursus, *In repub. benè constituta nemo fœnerator tolerabilis est: sed omnino debet è consortio hominum reiici.* Et, *Certè fœnerare quæstus est illiberalis, & indignus homine tàm pio, quàm honesto.* Quid tibi prodest vocari, quod non es? Quam tandem vtilitatem ex falso nomine speras? Quomodo potes religionem tuam probare, quandoquidem mãdata diuina violasti, pauperes contempsisti, egenos fœnore oppressisti, pupillos spoliasti, & visceratua clausisti? Fœnerator, exactor, oppressor, auare, immisericors, Non es pius, sed impius: non es religiosus, sed atheus: non es iustus, sed iniustus: non es filius Dei, sed mancipium diaboli.

Calu. in Ezech. 18.

Aug. in 38. Psal. 1. Cor. 6. 9. 10.

Cal. Epist. de vsura.

Contẽptor pauperis, oppressor egeni, tuæ non sunt opes, quas habes: tui non sunt pauperes, quos vides: amisisti: condemnabunt te: mittent te in ignem. Hic enim diuitiarum verissimus fructus est, ac salutaris, non vti opibus ad tuam ipsius voluptatem, sed ad multorum salutem: non ad præsentem tuum fructum, sed ad iustitiam, quæ sola non interit: non ad explendas carnis tuæ cupiditates, sed ad remouendas pauperum necessitates: non ad opprimendos deturbatos, sed ad erigendos humiliatos. Si audires preces eius, qui supplicat tibi, audiret Deus tuas: si succurreres laborantibus, Deus tibi quoque succurreret: si pupillos & viduas defenderes ac aleres, Deus te vicissim aleret ac defenderet: si mutuum daretis, solo benefaciendi affectu impulsi, Deus vobis etiam mercedem tribueret in cælis. Quoniam verò contraria facis, ideò pauperes amisisti, Deum exasperati, ei odio es, horribiles tibi

pœnas parauit ac minatur, quas ſine vera pœnitentia & vitæ tuæ correctione non potes euitare.

Vide Lactant. de vero cultu lib. 6. c. 12.

Neque nunc ſuaderi putes, O vere Chriſtiane, cùm ad afflictos ſubleuandos vrgeris argumentis validis, vt rem familiarem tuam minuas vel exhaurias: ſed quæ in ſuperuacua fueras impenſurus, ad meliora conuertas: vnde beſtias emis, hinc captos redime: vnde feras paſcis, hinc pauperes ale: vnde homines ad gladium cõparas, hinc innocentes mortuos ſepeli: vnde hiſtriones, & moriones, & gnathones alis, hinc opera miſericordiæ ſupplicibus fac. Transfer ad ſacrificia, *quibus delectatur Deus*, pecuniam malè perituram, vt pro his veris muneribus habeas à Deo munus æternum.

Hebr. 13. 16.

Quod ad ſecundum attinet, Oportet hominẽ pium ac religioſum abſtinere & cuſtodire ſeipſum à ſordibus mundanis. Non omnes partes & proprietates religionis enumerat, ſed tantùm duas: ac proinde non definit in vniuerſum quid ſit religio: ſed admonet religionem ſine his minimè conſtare. Has autem expreſſim nominat, quia otioſi auditores & hypocritæ, quos taxat, eas neglexerunt, intereà tamen ſibi blandiuntur, putantes ſe religioſos eſſe, & officium ſuum curare rectè. Ponit igitur duo neceſſaria officia verè religioſi; quorum primo vtilis eſſe poteſt proximo ſuo: altero prodeſt ſibi ipſi: ambobus ſimul glorificat Deum, quem timere debet vt Dominum, ac honorare vt Patrem.

Caluin. in hunc locum

Secundum officium hominis vero Dei timore ac religione condito, eſt immaculatum ſeſe ſeruare à mundanis ſordibus & inquinamentis, hoc eſt, à peccatis, quibus homines mundani ac carnales polluuntur.

Religioſus non eſt, ſed purus putus hypocrita, ſiue atheos, qui peccatis inhiat, qui ſordibus delectatur, & eis ſe inuoluit ac addicit, quantumuis conciones ſacras audiat, & multis encomiis Eccleſiam & religionem

nem prædicet.

Qui enim verè timet Deum, ſincerè odit ac vitat ea omnia, quæ Deo exoſa nouerit. Quid? Eúmne dices religioſum, qui religatur, non Deo, ſed mundo? Illéne pius, qui pietatem expectorauit, ac ſemet ipſum fœdis affectibus emancipauit?

Qui verè eſt religioſus, is verè eſt ſanctus, ac renatus. Sed dicas, obſecro: eúmne ſanctum putas, qui ſanctitatem negat, & peccatis ſibi iucundis ſeſe maculat? Illéne tibi purus & renatus habetur, qui puritatem & lucem fugit, qui concupiſcentiæ ſuæ natiuæ ſeruit, & ſordes illas, quæ pollunt conſcientiam & vitam, diligit?

Qui verè colit Deum, plangit errores ſuos, per ſinceram pœnitentiam excoquit ſcoriam peccatorum, quæ commiſit, lachrymis ex vera cordis contritione vbertim fluentibus tranſactæ vitæ crimina, ac ſordes ſuas, quas videt omnes, abluit: in poſterum autem ſe diligenter curat & cuſtodit, mundum cauet, conſortia prauorum fugit, & ſordes omnes declinat. Vt igitur religionem noſtram comprobemus, atque vt verè ſancti ac pij videamur, conuenit, oportet, neceſſe eſt vt à mundi blanditiis, & vitiis, & inquinamentis omnibus prudenter ac piè nobis caueamus, vtque in ſanctitatem & virtutes veras vitam & operam noſtram ad mortem impendamus. *Cui Chriſtus incipit dulceſcere, neceſſe eſt amareſcere mundum.* Bernard. Cui cordi & curæ eſt vera pietas, non poteſt ei mundus, cùm peccatis totus obruatur, non diſplicere, & odio eſſe. Qui vir ſapiens eſt, & emunctæ naris, non poteſt non diſcernere & abominari mundi pollutiones & ſtercora, in quibus nulli, niſi porci, voluntantur.

Fallax eſt hic mundus, exitus eius horribilis, & pœna infinita: quis niſi mentis inops, & religionis expers, mundum mortiferum & contagioſum de-

periret,eiusq; fœda blandimenta sectaretur?

Mundus est meretrix perniciosa, quæ desiderio pulchritudinis suæ adulterinæ ad concupiscentiam. Et concubitum trahit spectatores delíros: quem autem lenociniis & pigmentis suis decepit ac fascinauit,eundem anima sua spoliat,ac in perditionis voraginem præcipitat.

Pix est mundus: quamlibet leui attactu, tangentes inquinat. Viscus est; capit & inuoluit miratores suos. Laqueus est, incautos ac parùm cordatos escis obiectis allicit,allectos capit,& captos tenet ad perniciem suam,nisi Dominus *Iesus* brachium suum è cælis porrexerit,ac virtute sua liberarit. Amicitiam igitur omnem mundo renunciemus,ab eo caueamus, oblectamenta eius contemnamus, sordes eius omnigenas fugiamus.Sit mundus noster:ne nos eius simus: mundus noster est,si nos non sumus eius. Christi sumus, non mundi: Christum deamemus, ne seruiamus mundo.

Spiritus Sancti templa sumus, Sancti sumus & appellamur: pudeat igitur nos mundanis contaminari sordibus,& humi volutari:pudeat idola mundi colere, & luxuria diffluere.

Dei sumus, qui sanctus est, & sanctorum pater ac patronus: sanctitati proinde operam demus.Indecorum est in cæno libidinum instar porcorum volutari: absurdum est ventre duci,& carnis desyderia amplecti.Non possumus patri nostro cælesti placere,nisi carnis cupiditatibus relictis statuimus sanctitati studere. Qui voluptatibus indulget,& in vitiorum luto hæret, is non est Dei filius,sed peccati seruus;obsequitur peccato,non Deo, delectatur mundo ad perniciem, non Deo ad salutem.

Non vocauit nos Deus ad impuritatem,sed ad sanctificationem: Christus dedit seipsum pro peccatis nostris,vt eximent nos ex hoc mundo malo:liberauit nos è manu inimicorum nostrorum,vt seruiamus Deo cum san-

1.Thess.4.7. Gal.1.4. & 2.c.1.15.

cum ſanctitate & iuſtitia, cunctis vitæ noſtræ diebus. Ingrati igitur eſſemus,ac immemores Chriſti & vocationis noſtræ honorificæ, ſi relicto ſtudio ſanctitatis fœdis animi affectibus indulſerimus, ac ſordibus mũdanis nos polluerimus.

Angelos beatos habemus cuſtodes, qui nobis adſunt & miniſtrant:iſti ſancti ſunt,& ſanctitatem amãt: impuritatis autem omnis & turpitudinis ſunt oſores: propter Angelos igitur, qui nos cuſtodiunt & obſeruant, immaculatos non à mundo ſeruare ſtudeamus. Væ nobis,ſi quando prouocati ſancti Angeli ſordibus noſtris indignos nos iudicauerint præſentia & protectione ſua. Proinde cauenda eſt nobis eorum offenſa, & ea facienda,quibus eos nouimus oblectari. Mundis iſtis ſpiritibus munda placent, vt caſtitas mentis & corporis,ſobrietas,pietas,charitas,veritas,comitas,miſericordia,miſeratio, modeſtia, & quicquid ſupernè venit,& Deo placet.Quem ſiquis videre cupit,eum illuuiem animi ſui abſtergere, mundum peſtiferum cauere,& ſanctitati cordis ac vitę operam nauare neceſſe eſt. Nemo enim ſine ſanctimonia videbit Dominum:nulli, niſi qui inquinamenta mundi effugerunt, Heb.12.14.
mercedem ſanctitatis reportabunt. Impuris porcis,& canibus,& mundi mancipiis miſeris, portio aſſignata eſt in ſtagno,vbi ardent ignis & ſulphur,quod eſt mors ſecunda. Res noſtras omnes puras eſſe curamus: turpe igitur eſſet,ſi nos ipſi impuri fuerimus, & ſordibus oblectati.

Ea fugimus ac deteſtamur, quæ corpori poſſunt nocere,vt ſerpentes,lumbricos, venena,& id genus alia: multò igitur magis oportet inquinamenta mundi vitare,quæ non ſolùm animam vitiant, ſed totum hominem,in pœnitentia præueniat, in infernum ducũt. Lumbrici corpus,at vitia labefactant animam,ac maiorem ſanè putredinem pariunt.Mortuus eſt,qui peccato viuit, & inquinamentis carnis & ſpiritus delectatur: fœtentem animam in corpore,quaſi in ſepul-

chro, circumagit. Quemadmodum autem mortui deformes sunt, ac fœtidi ita iste coram Deo turpis quidē ac decolor est, & quàm pessimè fœtet.

D. Chrysost. Homil. 15. ad Hebr.

Non ees vides (inquit Chrysostomus) *qui peste laborant, quomodò tumore quodam occupantur, quomodò conuertunt sese atque reuertunt, quomodo fœtoribus sunt repleti, quomodo turpes sunt eorum facies, quomodo per totum immundi sunt? Tales planè sunt peccantes, etiamsi non videant.* Peccati pestis ac illuuies, vel vt magis propriè dicam, peccatum, quod est vera pestis ac illuuies animæ, multò lethalius, multò fœdius, multò infestius est ipsa peste, & omnibus sentinis ac sterquiliniis, quæ sunt per orbem. Atramentum, pix, limus, puluis, cænum, & his similia non magis faciem aut vestimentum polluunt, quàm peccata mentem ac conscientiam. Proinde religiosè nobis cauere par est: imò Baptismus noster & religio pura postulat, vt vnusquisq; semetipsum immaculatum à mundo, id est, à malo seruet.

Tu debes seruare teipsum, ego meipsum. Egomet enim sum proximus mihi. Charitas incipit à seipsa, vnusquisque suum onus portabit. Vnusquisque ex sui ipsius vita coram Deo censebitur. Anima, quæ polluitur, ipsa morietur. Qui comedit vuam acerbam ipsius dentes obstupescent. Indignus autem ille prorsus est cui cura aliorum committatur, qui seipsum negligit, & ventri seruit. Neque sanè putandum est alium ei curæ futurum esse, qui non curat seipsum. Si te ipsum immaculatum seruare non curas, verissimile non est te rectè curaturum, vt serues proximum. Quis quæso vestes tuas custodit à puluere & cæno? Quis, nisi tute ipse, qui eas induis, & cuius sunt? Quis igitur debeat animam tuam puram custodire? Cuius tu vestimenta custodis immaculata? Annon tua præcipuè. Pudeat te tunicam tuam curare, & animam inquinare: pudeat te calceos mundare, & vitam maculare: pudeat vestes omnes esse nitidas ac integras, fœtum autem fœdum, prauum & pannosum. Cuius denique erit dedecus &

Serpēs toto corpore occultat caput suum, & illud, in quo vita est, protegit. Esto prudens, sicut serpens. Periculis omnibus contēptis, imò & deliciis, caput tuum & cor, mentem & affectus diligenter custodito.

dispen-

dispendium, cùm in cæno libidinum instar suis voluptaris, & peccatorum inquinamentis te polluis. An non tuum? Tuum ipsius est, tu damnum & dedecus incurris, tu pœnas dabis sordium, quas contraxisti. Tuum igitur est te ipsum immaculatum custodire. Curent Principes subditos suos, Parentes liberos suos, Pastores greges Christianos sibi commissos immaculatos à mundo custodire: interea tamen vnusquisque curet seipsum, seruet seipsum, in sese potissimùm sit intentus, sui ipsius nullo pacto, ne tantillùm quidem, obliuiscatur.

Debemus nos totos impollutos custodire: non oculos solos, aut aures, aut linguam: sed omnia membra corporis, & potentias animæ, nempè iudicium, cõscientiam, voluntatem affectus, & totam vitã. Alioquin nõ Deo seruimus, sed carni nostrę indulgemus. Malè se seruat, qui se non totum seruat. Psal. 119. 63.

Vt autem possimus immaculatos nos seruare, sequẽtes regulæ sunt tenendæ.

1. Debemus fugere prauorum consortia. Quomodo enim inquinamenta effugiemus, si cum inquinatis & sordidis familiaritatem agimus. Talis enim quisq; fit, cum qualibus agit familiaritatem. Si hirundines, vt ait Solinus, in domo minante ruinam non ædificant, imò fugiunt à malè materiatis ædificiis: quantò magis debemus reuocare nos ab improbis malorum hominum commerciis?

2. Oportet nos amare & frequentare cætum & societatem piorum. *Socius ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Nulla res, inquit Seneca, magis animos in honestos & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri. Ante ignem consistens, etiamsi ferreus sit, aliquando dissoluetur. Ita per assiduitatem sanctitatis amor ingeneratur. Societas & familiaritas mundorum, occasionem dat fugiendi sordes. Sæpè quod voluntas non potuit, assiduitas superauit. Sicut plurima mala societas affert malorum: sic plurima bona habent commercia bonorum. Ideóq; improbi non magis fugiendi sunt, quàm sancti deligendi.

3. Quia frustra custoditur ciuitas, nisi Deus eam cu-

ſtodirit,qui neq; dormitabit,neq; dormiet,ideò Deum ſuppliciter orare nos oportet, vt nos immaculatos à mundo cuſtodire per virtutem Spiritus ſui Sancti dignetur. Poteſt Dominus nos facilè ſeruare ab inquinamentis mundi:& promptus eſt ad audiendum eos, qui auxilium eius implorant animo verè pio, qui verè odit ſordes, ac amat ſanctitatem, & mouetur ſenſu propriæ indigentiæ. Inuocando vincitur mundus: inuocando ſuperatur Diabolus. Qui nullis viribus, nullis cohortibus debellatur, oratione vehementi vnius pauperis Deus inclinatur.

Audeo affirmare eos non orare, qui ſeſe ſordibus & ſceleribus non ceſſant inquinare. Imò non poteſt is rectè orare, vt oportet, qui vitiis ſuis ſeruit, & mundū diligit. Magna eſt multitudo hominum, magna, verò ſolitudo ſanctorum. Perpauci ſunt, qui Deum ſincere inuocant, & eius præceptis auſcultant. Dignum autem eſt, vt ab eius beneficiis ſit quiſq; extraneus, cuius iuſſionibus non vult eſſe ſubiectus. Precatur aliquis forſan, vt Dominus eum incontaminatum ſeruet, vel ſordes ſuas abſtergat: quem tamen Deus non exaudit, quia non orat ex vero virtutis amore, non ex puro odio vitiorum, non ex animo gloriæ diuinæ ſtudioſo. Hoc patet ex communi praxi hominum, qui ventri & vitiis ſuis indulgent, interea tamen præcibus publicis, & interdum etiam priuatis interſunt & aſſentiuntur. Dicunt *Amen*, ſed mores ſuos non emendant. Orāt, & orant quotidiè, ſed vitam non corrigunt, inquinamenta mundi non fugiunt. Vis vt verum dicam? Non orant, non dicunt *Amen*, ſed blaterant potiùs & garriūt. Oratio cordis eſt, non labiorum: ſine deuotione, & animo ſordes auerſante, nihil aliud eſt, oratio, quàm quaſi grunnitus porcorum, aut mugitus boum. *Iniquitatem* (inquit Dauid) *ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Pſal. 66. 18.

4. Tentat nos Dominus ſcandalis & malis exemplis, quæ permittit, vt palàm fiat (non ſibi, qui nouit omnia,

mnia,ſed nobis ipſis & aliis)vtrùm diligamus eum,an-non,in toto corde, & in tota anima noſtra. Si igitur ſordes & cænum videbimus, non debemus in eis inſtar porcorum volutari, ſed nobis diligentiùs cauere. Exempla bonæ vitæ à Chriſto, & à bonis Chriſtianis aſſumere debemus:peccamus,ſi peccatores imitamur. Leuis omninò eſſes ac fatuus, ſi, quoniam proximum cæno aut ſtercore oblitum cernis,teipſum idcircò cõmaculares. Certè peccatum eſt peccatis duci alienis. Impietatis eſt ſcandalum dare, neque poteſt is excuſari,qui accepto ſcandalo peccat, & in voraginem vitiorum ſe præcipitat.Caueamus igitur nobis à ſcandalis & malis exemplis,eorum præcipuè, qui literati,ſapientes & probi habentur.Horũ enim errores,& mali mores maximam perniciem afferre ſolent. Profectò homines optimi rem malam non poſſunt bonã reddere.Qui ſapit igitur ex vitio alterius emendat ſuũ : non autẽ ſe polluit,quia fratrem inquinatum cõſpicit. Bonum eſt doctorum,& diuitũ ſequi veſtigia,ſi rectè præcedunt:ſed malum eſt,vel optimorum,ſi peccauerint, mala calcare veſtigia,& errores diſcere.

Certè ſcandala & omnia mundi inquinamenta noſtra ſunt, ſi nos Chriſti ſumus & mundo non ſeruimus. Noſtra ſunt, & gloriam noſtram adaugebunt, ſi nos non ſumus eorum ; hoc eſt , ſi nos non polluunt , non ducunt , nec tranſuerſos agunt. Si contemnamus ea, ac religiosè nobis caueamus, maiorem mercedem conſequemur,quàm ſi intentati ſemper fuiſſemus.

Vt autem puri permaneamus, manus puras ad Deũ leuemus, & nos in eius præſentia ſemper eſſe ſeriò conſideremus. Cautè ambulandum eſt, cùm Iudex ille magnus & iuſtus vbique ſit,& omnia videat. Deniq; vileſcat totus mundus vt Deus,qui eſt ſuper mundum in nobis dulceſcat.

Inquinamenta mundi,ſordes vitiorum,ſterquilinia errorum, multùm quidem differunt à cæno, ſimo,

puluere,peſte,mephitibus,guttis pluuialibus, ſagittis, ſpiculis,& globis bombardicis. Poteſt enim aliquis his inuitus infeſtari:illis verò nemo poteſt inuitus inquinari.Potes ſagittis inuitus omninò vulnerari, non potes vitiis inuitus maculari. Sicut inuitè nemo fit ſanctus:ſic inuitè nemo fit ſus. Ingratiis nemo ſanctificatur,ingratiis nemo contaminatur. Voluntatem igitur noſtram cuſtodiamus,& à Deo petamus aſſiduis precibus,vt inclinet cor noſtrum in teſtimonia ſua, & non in mundi inquinamenta : ſed vt auertat oculos noſtros,ne videant vanitatem, neq; ſordibus ſe oblectent.Sciamus autem culpam omninò noſtram eſſe, ſi inquinati fuerimus, & nullatenus in Deum transferendam : quem ille verè colit, qui ſeſe immaculatum cuſtodit.

Peccant igitur homines profani ac inſulſi, qui eos cõtumelioſè vocant hypocritas & Puritanos, quos D. Iacobus docet religioſos eſſe & dignos, qui ſic vocẽtur. Certè credibile eſt contemptores iſtos in ipſum Chriſtum conſputuros, ſi, vt olim, in terris eſſet.

Vultis nunc Chriſtianum cernere? Vultis verè Religioſum conſpicere? Exite,& videte.Ipſe eſt,qui miſeris ſuccurrit,& ſanctimoniæ ſtudet.Qui egenos ſubleuat,& ſeipſum immaculatum à mundo ſeruat,is verè Chriſtianus,& Religioſus eſt,&videtur.Non eſt hic hypocrita, ſed ſincerus Profeſſor : non cultor mundi ſed Dei:non iactator ſui,ſed imitator Chriſti.

Haud pauci viſcera ſua clauſerunt, & pauperes ac afflictatos expectorârunt, qui nihilominus fidem ac religionem iactant,& ſibi ipſis aſſentantur. Boni iſti hiſtrionibus aſſimilantur,qui in theatro alienas perſonas agunt. Homines verè religioſi ſimiles ſunt mulieribus formoſis,quæ nihil exterorum indigent,ſed naturalem habent pulchritudinem.Hypocritæ verò,qui religionem profitentur, & afflictiones pauperum intereà viuo inſcribunt, iiſque ſubuenire non cogitant, meretricibus quibuſdam turpibus ſimiles ſunt multos habentibus fucos & pigmenta, quibus fœditatem ſuam velare conantur. Sed Deo patent,qui coloribus decipi non poteſt: & ſpes eorum peribit,& quaſi ſterquilinia in fine perdentur. Si ſincerus vix ſaluabitur, hypocrita vbi apparebit? Ibi iudex, non falletur verbis,nec

bis, nec flectetur donis: neque prece, neque pretio ducetur in iudicio.

Innumeri ferè sunt, qui *Religiosi* volunt vocari, & videri cupiunt, qui tamen multis nominibus malè audiunt, vtinam immeritò; inter hos sunt *Ignatiani*, qui seipsos arroganter vocant fratres è societate *Iesu*. Sub hoc speciosо nomine prosiliunt incarnati quidam diaboli, qui pacem Ecclesiæ perturbant, ac Regibus aduersantur. Ex hac fraternitate fuerunt nonnulli ex illis *Puluerariis Proditoribus*, qui puluere tormentario florentissimum hoc regnum euertisse cogitabant. Sed qui habitat in cælis *Religiosos istos fratres*, & eorum complices, *fratres omnes in malo*, proditionis inauditæ societate obstrictos, subsannauit, laqueos eorum denudauit, & nos liberauit: Ei sit laus & gloria in secula seculorum, *Amen*.

Nouemb. die quinto. Ann. Salut. 1605.

Paret carnifici renuens parere Parenti, h. e. Regi. Londig. pœnas dedêre, tenebriones isti puluerarii.

Religionem Christianam omnes hîc profitemur, omnes cupimus religiosi haberi: interea verò multi inueniuntur, qui non abluuntur, sed sordibus mentis ac morum multigenis conspurcantur.

Sunt, qui sibi *Catholici* videntur, nec sunt tamen. Deũ ex pane factum adorant: mortuos inuocant, & pro mortuis superstitiosè orant: Scripturas sacras perfectã regulam fidei continere negant: catholicam doctrinam fidei & iustitiæ Christi imputatæ oppugnant: homini mortali subsunt, quem errare non posse confidenter affirmant: qui reuera est ille magnus *Antichristus*, homo ille peccati & perditionis filius, qui sese opponit & effert aduersus quicquid dicitur Deus, aut numen, *cunctam religionem suæ subiiciens potestati*, adeò vt in Templo Dei tanquam Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum. Deuitanda ergò nobis sunt eorum conuenticula, ne si picem tetigerimus, ea nos contaminemus.

Multi nolũt iuramento suam fidelitatem Regi promittere. Idq; faciunt prætextu religionis, sibi misere blãdientes. 2. Thess. 2.

Hieron. in Dan. cap. 7.

Est generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. Non desunt, qui dicunt in corde suo, Recede à me, Noli me tangere (*Polypi* sunt):

Pro. 30. Esa. 55.

non appropinques mihi: quia immundus es: ego te multò sum purior. Gratias Deo, Non sum sicut cæteri
Luc.18. hominum, aut hic Publicanus.

Videbis multos, qui volunt scire diuina eloquia, nec tamen facere: volunt doctè loqui, nec tamen viuere. Scientiam extollunt, charitatem parui pendunt. Virtus istis laudatur, sed alget.

Generatio quædam est, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ. Superbi volunt videri religiosi: malè tamen conueniunt superbia & religio: imò exulat religio, vbi regnat superbia, quæ omnium malorum radix & regina est.

Baptizatos multos inuenias, & religionis professores, qui formam habent pietatis, sed virtutem eius abnegarunt. Auari sunt, maledici sunt, calumniatores sunt, ebriosi sunt, scortatores sunt, immorigeri sunt, immorigeri sunt, mendaces sunt, prophanatores diei Dominici sunt, blasphemi sunt, voluptates amant potiùs, quàm Deum, Diabolo seruiunt, carni vacant, & peccatorum mole obruuntur.

Sunt qui decimas, & oblationes quasdam, Deo olim consecratas, & Ministris eius debitas, detinent, non soluunt, qui tamen omnes religiosi, & boni Christiani sibi videntur. Quæ Dei sunt, & non *Cæsaris*, nedum sua, his Deum spoliant: hæc emunt ac vendunt pro arbitrio suo: his se, suósque alunt: hinc quidam sibi parant vestes splendidas, imò & meretrices ac concubinas, vt fertur, pascunt: interèà verò curio, vicarius, siue pastor, non habet, vnde libros emat, & sese ingenuè sustentet.

Protulit hoc seculum aliquot, qui ne mortuis quidem pepercerunt, sed eorum ossa ac cineres animo satis profano eruerunt. Quod quidam iam dudum fecit animo, vt ipse professus est, cellam suam domesticam sacrato cuidam cæmiterio contiguam dilatandi.

Religiosos eos iudicabimus, qui corpora sua, consecrata Deo, exhibent, *Baccho, Cereri, Veneri*, Diabolo? Illíne pij

ne pij tibi videntur, qui Eccleſias temerant, ſacrata violant, Deum ſpoliant? Væ iſtis religioſis. Peribunt iſti omnes vnà cum religione ſua, niſi pœnitentiam egerint, & quæ Dei ſunt, Deo reſtituerint. Illi ſoli ſunt religioſi, qui verè in *trin-vnum* Deum credũt, & fidem ſuam operibus miſericordiæ, ac auerſatione ſordium exprimunt. Hi fœlicitate perfruentur illius vitæ, quæ æterna eſt ſine ſucceſſione, diſtributa ſine diminutione, communis ſine inuidia, ſufficiens ſine indigentia, Aug. iucunda ſine triſtia, beata ſine omni miſeria. Hic videbimus Deum, viuemus cum Deo, viuemus de Deo, Bernard. qui delectabilis eſt ad videndum, ſuauis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Ad hanc beatam vitam is nos perducat, qui eam nobis iuſtitia ſua parauit, Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, cui cum Patre & Spiritu Sancto, ſit laus & honor in ſecula ſeculorum, Amen.

CAP. II.

Fides Chriſti non eſt habenda cum reſpectu perſonarum, ſed operibus miſericordiæ & charitatis exprimenda, quæ declarant veritatem fidei ſaluificæ, & iuſtitiam credentis.

Verſ. 1.

Fratres mei, ne cum acceptionibus perſonarum habete fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti glorioſi.

FIdem habet cum reſpectu perſonarum, qui ſolos diuites honore proſequitur, pauperes autem pios deſpicit, aut probrosè tractat. Is enim perſonam accipit, qui vel hominem, vel hominis fidem, religionem & dignitatem æſtimat ex habitu externo, nihil faciẽte ad rem, de qua agitur. Si quis enim pauperem pium vilipenderet, & diuitem impium ei præferret, is malè

iudicaret, quia causam veram, ex qua de homine pronuntiari oportet, nihili facit. Prauum ei iudicium est, qui præfert aurum virtuti, facultates fidei, diuitias sanctimoniæ: vel qui diuites honorat cum contemptu & contumelia pauperum. Christus habitat in omni fideli ac pio Christiano, paupérne sit, an diues nihil refert. Is igitur Christum contemnit, qui pauperem Christianum contemnit. Credit pauper in Christum, credit diues in Christum: qui igitur diuitem fidelem honorat, pauperem verò fidelem interea non honorat, is *Iesum* Christum non honorat, sed adorat diuitias, hoc est, idolum cordis sui. Fides præstat diuitiis, Christus prælucet mundo, vilius argentum est auro, virtutibus aurum: proinde fides non est censenda ex diuitiis, Christus non est excipiendus propter mundi bona, virtus non est amanda propter aurum: sed contrà tum diuites, tum pauperes honorandi sunt propter fidem, virtutes, & Christum, cuius sunt membra & confessores. Qui fidem & religionem honorat propter opes, is pauperes pios negligit & eorum fidem ac religionem floccifacit: & proinde opes in abominandum idolum sibi conuertit. Charitatem sinceram exuit, qui pauperem ob paupertatem contemnit. Charitas enim postulat vt ames, vt honores, vt cures proximum tuum vt teipsum. Sed Pauper proximus est, homo est, frater est. Pauper creatura & imago Dei est, ergo non est contemnendus quia pauper, sed amandus & honore afficiendus propter Deum creatorem, cuius opus est & imago. Qui humanitatem neglegit, is etiam Deum ipsum contemnit. Pauper Christianus est opificium & imago Christi, qui igitur pauperem Christianum propter penuriam suam paruipendit, vel contumeliosè tractat. Fide coalescimus in Corpus Christi, cùm igitur aurum fidei præfertur, cùm pietas post habetur diuitiis, profectò fides obruitur splendore mundi, atque adeò Dominus *Iesus* Christus postponitur *Mammonæ*. Pauperes omnes ac diuites pari ratione sunt filij Dei

ac mem-

ac membra Christi, si verè pij fuerint: proinde is Deum Patrem & Christum Ecclesiæ Caput vnicum contumelia afficit, ac honore debito priuat, qui pios, siue pauperes, siue diuites, negligit, & honore non prosequitur. Quicunq; in Christum baptizati sunt, baptismo fluminis & flaminis, Christo sunt induti, Christo tanquam pretioso aliquo vestimento ornantur, & operiuntur, etiamsi in summa rerum inopia degerint: is igitur Christum negat, Christum nõ agnoscit, non colit, sed nauci facit, qui pauperem Christo indutum abigit, expellit, contemnit. Qui igitur fidem ac religionem Christi profitemur, ne colamus diuites cum pauperum contumelia, sed Dominum *Iesum* Christum in omnibus eius membris, cuiuscunq; sortis, sexus, ætatis, aut gentis fuerint, amemus, amplexemur, & honore afficiamus. Christum negat, & idola cerebri sui adorat, qui personas acceptat.

Domini nostri gloriosi. Christus est dominus noster, dominus omnium siue pauperes fuerint, siue diuites, qui eum verè & castè colunt. Hos enim omnes redemit sanguine suo, gubernat Spiritu suo, pascit in pascuis suis, sustentat verbo virtutis & gratiæ suæ. Amemus igitur Christum vt redemptorem, & in illius meritis acquiescamus, honoremus vt rectorem, sequamur vt pastorem, pendeamus ab eo, ei fixis animis adhæreamus. Is enim columen nostrum est, statumen & fulcrum. Christus Dominus *noster est*, hoc est, meus est, tuus est, illius est. Vnus Dominus, multi serui, qui omnes conserui sunt, & socij. Toleremus igitur & foueamus alij alios per charitatem Christi. Studeamus seruare vnitatem Spiritus per vinculum pacis: concordes simus vt conserui. Ne contemnamus alij alios per odium, superbiam & vanitatem mentis. Contemnit Dominum, qui contemnit seruum. Quis te constituit, diues, seruum Christi? Is certè ipse, qui constituit pauperem. Christus ipse vos ambos vocauit, ac sibi sanctificauit. Caue quicquam iniuriæ facias conseruo tuo.

Dominus videt,& ad iram prouocatur. Iniuriam,quã facis ſeruo, Dominus ſibi ipſi fieri iudicat. Malus is ſeruus eſt,qui conſeruos ſuos cædit, contemnit, conculcat. Conueniunt iſti mores mancipiis Satanæ, & mundi aſſeclis, nullatenus verò ſeruis Chriſti & filiis Dei.

Vos autem *Ignatiani*,cur aliis omnibus deſpectis,*Ieſu* nomen arroganter vſurpatis?Cur *Ieſum* diuiditis,cur noſtrum communem *Ieſum* veſtrum facitis? Cur non eſtis contenti honorifico nomine *Chriſtiani*? Quid vos habetis egregium præ cæteris, aut eximium? Quid? An vobis ſolis,aut præcipuè, dominum & ſaluatorem ſeſe præbet? Cauillari poteſtis,ſed à ſuſpicione arrogantiæ nunquam poteritis vos vindicare. Sed pergamus.

Chriſtus vocatur *Dominus gloriæ*,vel glorioſus. Eſt enim Chriſtus ſplendor gloriæ, & ſubſtantialis imago Patris æterni,lumen de lumine, & Deus verus procedens de vero Deo.Eſt præterea author & effector gloriæ noſtræ,qui ſumus eius ſerui, ac membra. Ipſe eſt gloria noſtra, corona noſtra, retributio noſtra. Ipſe gloria ſempiterna redimet eos omnes in vita futura, qui,dum hic ſunt, ſuos alunt & protegunt, ac nomen eius glorificare curant. Glorioſus denique dominus eſt,quia Dominus dominorum eſt, & omnis poteſtatis caput.

Glorioſis delectamur, fratres? Delectemur Chriſto.Domino glorioſo ſeruire cupis?Serui Chriſto.Domini glorioſiſſimi, illuſtriſſimi, potentiſſimi, ad noſtrum hunc Dominum obſcuri ſunt, inglorij ſunt,nihil ſunt.Quid mundum miraris?Cur te gloria & pompa mundi tenet? Suſpice in Cælum, mirare,ſuſpice Chriſtum ad dextram Dei ſedẽtem: Tanta eſt Chriſti gloria,vt omnes mundi glorias facilè extinguat, ſi quidem oculos tuos irradiet. Deſpicias mundum,ſi ſuſpicias Chriſtum. Non potuit opum & honorum opinio oculos ſuos perſtringere, ſi conuerteres eos in Chriſtum,

Christum, eósque gloriam eius contemplando pascere.

Sed quare meminit hîc de *gloria Christi*? Vt eius scilicet cõsideratione discerem us rectè de fratribus nostris iudicare. Cognitio enim, consideratio, & æqua eius æstimatio personarum respectum & admirationem omninò tolleret, aut certè multùm impediret. Indignus is est, quem despicias, qui glorioso hoc Domino indutus est, & ei seruit. Seruos & comites Regum honoramus: quis igitur ausit contemnere & probrosè tractare seruos huius glorioſi Domini, qui verè glorioſus. Rex est, & veræ gloriæ fons & dator? Dices pauperes esse, & egestate premi. Quid hoc argumenti est contemptus? Hæc eorum conditio misericordiam suadet, non contemptum. Aurum aut gemmam contemneres, præterires, quia iacet in cæno, siue in puluere? Vix credo. Cur igitur audes Christianum contemnere propter paupertatem suam? Christus Dominus glorioſus se ipsum tibi offert in seruis suis pauperibus & afflictatis spectandum, fouendum, subleuandum, curandum. Inglorios istos, pauperes istos, contemptibiles istos quos putas & miseros, si contemnis, glorioſus eorum Dominus te etiam ipsum contemnet itidem vt sui ipsius contemptorem. Si non misereſcis, si non succurris istis, Dominus non misereſcet, non succurret tibi. Audi quæso, iustitia Christi, sanguis Christi, caro Christi, vulnera Christi, merita Christi, meliora sunt, præstantiora sunt, pretiosiora sunt omnibus opibus, & honoribus, & deliciis mundi: at hæc habet pauper pius, non igitur est contemnendus, sed honorandus, imò & præferendus decem myriadibus diuitum, qui vitiis suis seruiunt, & omnem fœlicitatem in rebus præsentibus constituunt. Pauper est, quem Deus odit: diues est, quem Deus amat. Odit Deus diuites improbos: atqui diligit pauperes honestos ac pios. Ne tu contemnas, quos Deus tuus amat & honorat. Quos enim Deus in Christo amat, eosdem propter Christum

honorat cum Christo in gloria, quam Christus parauit meritis suis. Illustrior verò & beatior est gloria, quam Christus suis dabit, quàm gloria mundi, quæ vana, fluxa & caduca est: illustrior igitur is est (quisquis ille sit) qui particeps erit huius gloriæ propediem reuelandæ, quàm qui vel nunc est, vel mox erit indutus stemmate regali, & reliquo huius mundi splendore illustratus. Blennus igitur is est, & cæcus, & omnis tàm pietatis quàm iudicij expers, qui seculares reges miratur, & reges spirituales aspernatur, qui diuites magnifacit, & pios, quantumuis pauperes, flocci pendit, qui glorioſos homines suspicit, & glorioſos Christianos despicit, qui seruos Principum ac Dominorum colit & comiter excipit, interea verò seruos Domini Iesu Christi, Domini gloriæ, contemnit, & cum fastu aut neglectu præterit. Non nouit, imò reuera negat gloriam Christi, qui non agnouit, sed superciliosè cõtemnit pauperes Christi.

Vers. 2, 3, 4.

Nam si quis in cœtum vestrum ingrediatur aureum gestans annulum, veste splendida, ingrediatur autem & pauper cum sordida veste, & respexeritis ad eum, qui vestem gestat splendidam, & dixeritis ei, Tu sede hîc pulchrè: pauperi verò dicatis, Tu sta illic, aut sede hîc subter scabellum meum: nónne discrimen feceritis apud vos, & facti fueritis iudices peruersarum cogitationum?

CŒtum. Synagogam, templum, locum sacris destinatum. Vt in templum ingrediuntur diuites & pauperes: sic etiam ingredientur in cæleste templum, in Dei Paradisum. Discrimen tamen hîc magnum est. Multi enim, tàm pauperes quàm diuites, qui dum in viuis sunt templa frequentant & conciones ac preces audiunt, vbi verò morte sunt abrepti, propter hypocrisin & impœnitentiam suam non permittuntur in cæleste

Teſte illud templum ingredi, ſed detruduntur in gehennam, vbi cruciatus horribiles ſunt paſſuri. Deinde hic diuites plerunque ſoli occupant ſuperiora & ornatiora loca templorum: atqui in cælis ille (ſiue diues fuerit, ſiue pauper) melliorem manſionem & maiorem gradum gloriæ consequetur, quàm hic (an diues ſit, an pauper, nihil refert), prout ille virtutibus hunc, & benè agendo, præſtitit ac anteiuit in terris.

Aureum geſtans annulum. Vſus auri, gemmarum, & ſplendidarum veſtium, non eſt ſimpliciter malus & illicitus. Damnatur vanitas, non veſtis: oſtentatio, non aurum: ſuperbia animi, non ſplendor veſtimenti. Damnatur is, qui hæc habens contemnit pium, quia hæc nō habet. Damnatur is, qui fidem Chriſti & veras virtutes hiſce poſtponit. Damnantur illi omnes, qui pietatis ſtudio neglecto, ex iſtis cultum & honorem quærunt, aut ſibi variis vitiis laborantibus maiorem reuerentiam & dignitatem deberi iudicant, quia iſtis induuntur, quàm pauperibus, qui docti, pij, & honeſti iudicantur. Damnatur denique non ſimplex vſus horum, ſed abuſus: non ornatus, ſed luxus & exceſſus.

Ornamenta diuitū ſunt annuli aurei, gemmæ &c. ſed ornamenta ſanctorum ſunt virtutes, ac boni mores, non autem res terrenæ.

Pauper cum ſordida veſte. Pauperes induuntur veſtibus vilibus, laceris, pannoſis: non enim habent, vnde meliores emant. Sæpè tamen ſub iſtis veſtibus latet fides, & religio pura. Sicut qui diuites ſunt & veſtes ſplēdidas geſtant, non propterea ſunt pij, iuſti & temperantes: multi enim non diuitiis magis quàm vitiis affluunt: ſic qui pauperes ſunt, & ſordidas veſtes geſtant, non propterea impij, iniuſti, & intemperantes ſunt. Multi enim ſunt, qui paupertate premuntur, qui tamē virtutibus & aliis bonis animi inſtruuntur.

Diues, diuitias tuas indicas aureis annulis, & ſplendidis veſtimentis, indica ſimiliter fidem tuam & religionem bonis operibus. Peccas, ſi corpus ornas, & animam conſpurcas. Turpe eſt animam habere ſordidam & veſtem ſplendidam: corpus ornatum, & animam inculta-

cultam: veſtes ſplendere, & vitam ſordere.

Tu autem Pauper, penuriam tuam demonſtras veſtibus tuis annoſis, pannoſis & ſordidis: videam, quæſo, virtutes tuas internas factis externis expreſſas. Paupertatem tuam non diſſimulas, non celas, ſed oſtendis, vix potes eam tegere: pietatem quoq; tuam indica: ſplendeat lux tua coram hominibus. Si pietate & vera virtute ſis imbutus, ſi fide, ſi iuſtitia, ſi veracitate, ſi humilitate ſis inſtructus, oſtende, indica, ne cela, ſed bonis moribus & operibus manifeſta.

Reſpexeritis ad eum, qui veſtem geſtat ſplendidam. Non ſimpliciter vetat honorare diuites, ſed eos honorare cum contemptu pauperum. Ii apud Apoſtolum peccant, qui pietate neglecta, quæ multò dignior eſt diuitiis, ad externa tantùm bona reſpiciunt, Chriſtianos pauperes ob paupertatem ſuam paruipendentes, aut etiam ignominiosè tractantes.

Sede hîc pulchrè. Hoc eſt, in loco honeſto, & honorifico.

Pauperi verò. Sunt pauperes quidam pij & honeſti, qui æquo animo paupertatem ſuam ferunt, ac virtutibus & bonis actibus operam dant. Hos qui contemnit, & probrosè tractat, Deum ipſum contemnit, cui pœnas dabit ob contemptum ſuum. Sunt verò alij, qui facultatibus egent, ſed cupiditatibus ardent, auari inuidi, maledici, blaſphemi, ſuperbi, doloſi, otioſi, ebrioſi, ſcortatores, ventri ſuo ſeruientes non Deo. Rectè facit, qui tales contemnit, nõ quia paupertate premuntur, ſed quia vitiis ſuis abominandis obſequuntur. Cenſetur enim inter regni cæleſtis hæredes, qui homines improbos vitiis ſuis ſeruientes contemnit, honorat autem timentes Dominum, ſiue pauperes fuerint, ſiue diuites.

Nónne diſcrimen. Hoc eſt, nónne diuitem ob ſplendorem ſuum honorando, & pauperem ob ſolam paupertatem cum contemptu & ignominia tractando, diſcrimen apud vos iniquè feciſtis?

Iudices

Iudices cogitationum malarum. Hoc esti nonne facti estis iudices iniqui, nónne iniustè iudicastis? Vbi obserua: Iniquus iudex est, & peruersè iudicat, siue is pauper fuerit, siue diues (sæpè enim hîc peccant tàm pauperes, quàm diuites) qui diuites merè ob diuitias suas magnificat & honorat, pauperem verò contemnit, & cum contemptu tractat: nec ob aliud, quàm ob paupertatem suam, qua laborat, & à Deo benevolè castigatur.

Peruersè iudicat contra pietatis, & charitatis, & iustitiæ regulam, qui præfert diuitias pietati, qui posthabet pauperes pios diuitibus impiis, qui diuitem indoctum aut improbum splendidè excipit, contempto paupere bonis artibus & moribus ornato; denique qui diuitem iucundæ gratiæ causa præponit egeno, vel qui personas hominum admiratus vtilitatis gratia.

Pietatem igitur diuitiis præferamus: pios, etiam pauperrimos præponamus impiis, vel ditissimis. Pios, tum pauperes tum diuites, colamus, honoremus vero charitatis [illegible] Christus habitat in piis omnibus, tàm egenis, quàm opulentis; imis, qui [illegible] & vestimentis splendidis ornantur, ac in illis etiam, quibus neque aurum est, neq; vestis vlla, nisi quæ sordida sit & vilis. Qui igitur pauperem pium contemnit, Christum is ipsum contemnit: similis ei est, qui patrem, matrem, amicos, cognatos; aut dominum suũ contemnit, quia laceris aut sordidis vestibus induuntur. Non vis ingenuus & verè humilis contemnere fratrem tuum germanum, quia vides eum malè vestitum, & rerum omnium penuria laborare, sed agnoscis eum, misereris, succurris, denique vt fratrem tuum colis & honoras. Sic te geritò erga fratres tuos Christianos, qui paupertate sunt afflicti. Peccas grauiter in Deum Patrem, si filios eius, ob tenuem eorum fortunam & calamitates contemnas, vel minori æstimes. Deus se tibi offert in filiis suis pannosis & sordidis ve-

ſtibus indutis, metuas igitur, iſtos abigere, aut cum contemptu & ignominia tractare. Nam qui peccat in iſtos, peccat in Deum Patrem: qui iſtos honorat, Deū honorat: qui autem iſtos reiicit, Deum reiicit: qui iſtos ſpernit, Deum is ipſum planè ſpernit. Pauperes pij ſunt membra Chriſti, ac proinde honorandi, quomodocunq; fuerint veſtiti. Peccat certè in Chriſtum, qui minimum Chriſti corporis membrum cum contemptu tractat. Offendit Chriſtum, qui eius membra deſpicit ob veſtes ſordidas aut penuriam rerum corporalium: ſicut offenderes patrem aut dominum tuum, ſi cum contemptu tractares pedes aut digitos eius, quia nudi ſunt, aut colluuulati.

Verſ. 5, 6, 7.

Audite fratres mei dilecti, Nonne Deus elegit pauperes mundi huius, diuites in fide, & hæredes regni, quod promiſit iis, qui diligunt ipſum. Vos autem contumelia affeciſtis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt in iudicia? Nonne iidem blaſphemant præclarum illud nomen, quod inuocatum eſt ſuper vos?

Nonne Deus elegit? Probat pauperes non eſſe contemnendos ob paupertatem ſuam: quia nimirū Deus non contempſit eos, ſed honorauit. Deus eos elegit pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ: indignum igitur eſſet eos reiicere, & contemptui habere. Deus eos ornauit diuitiis fidei, quæ multò pretioſior eſt auro, & gemmis vniuerſis. Imò fecit eos hæredes regni cæleſtis, quod longè ſuperat omnia mundana regna, quæ incerta ſunt omnia ac mutabilia, & cum mundo peritura. Grauiter igitur peccaret, qui pauperes, quos Deus tantis honoribus dignatus eſt, contumelioſè tractarit, aut deſpexerit.

Sed obſeruandum eſt Deum non omnes pauperes elegiſſe, neque eos ſolos. Sunt enim ex diuitibus nō-

nulli

nulli pij, iusti, & verè humiles, à fastu & omni iniquitate abhorrentes. Sed aliquot duntaxat elegit; quos autem elegit, eos fide vera & salùifica donat, in filios sibi adoptat, & hæreditatem cælestem tandem eis tribuit.

Pauperes mundi huius. Hoc est, inopes, egenos, quibus tenuis est fortuna in mundo. Hos Deus elegit, non quia pauperes fuêre, sed quia ipse voluit. Sunt enim nonnulli, qui ventri seruiunt viuentes, & peccatorum mole obruti moriuntur impœnitentes: istos Deus non elegit, sed reiecit, vt euentus monstrat. Electio pauperum non pendet ex eorum paupertate, sed ex mera Dei charitate.

Vt autem sunt pauperes mundi huius, ita suos pauperes habet & futurus. Ex illis haud pauci, qui diutes hîc agris fuerunt & positis in fœnore nummis, diuites opum, diuites pictai vestis & auri, pauperes erunt in mundo futuro, summa & sempiterna bonorum omnium penuria laborantes, diuites solummodo defectibus & pœnis.

Diuites fide. Non hîc ostendit electionis causam, sed eos, qui eliguntur. Non enim electio pendet ex fide præuisa, sed indicatur fide vera, & eius operibus. Deus non elegit omnes pauperes, sed nonnullos solùm. His iam electis Deus, quando sibi visum fuerit, Spiritum suum inspirat, & fidem in eorum cordibus creat, necnon spe cælestis hæreditatis certa pascit. Firmissimè credo Deum nihil extra se considerasse, cuius rationem in eligendo pauperes haberet, sed elegisse, quos voluit, ex sola gratia & misericordia. Electio Dei non inuenit credentes, sed facit: non inuenit hæredes, sed constituit.

Elegit nos Deus, non quia credidimus, aut credituros nos præscinit, sed vt crederemus in eum, & vt sancti ac inculpati essemus coram eo. Electio est causa fidei & bonorum operum, non effectum. Deus nihil dignitatis aut boni in nobis præuidere potuit, nisi quod

electionis ſuæ beneficio, iam priùs largiri ſtatuerat, qui natura ſumus hoſtes Dei, filij iræ, mortui in peccatis, inutiles vel ad cogitandum aliquid boni, tanquam ex nobis ipſis, in quibus nihil eſt per naturam præter materiam mortis & damnationis æternæ.

Sit autem hoc ſolatio piis pauperibus: Diuitiis cares, ſed fide dives es: Reiiciunt te inſulſi diuites, ſed Deus Opt. Max. te elegit, te filium ſuum fecit. Te nullo honore dignantur homines huius mundi, ſed Deus te gratia ſua honorat, & ſpe beat æternæ fælicitatis. Petenti tibi ſubſidium aut auxilium, viliſſima vix concedunt: quæ porcis & canibus proiiciunt, ipſi ea contemnentes, hæc tibi largiuntur: ſed bono ſis animo. Deus te donis optimis & maximis inſtruere dignatus eſt: imò fecit te hæredē regni cæleſtis, hęreditatis æternę ſpe ex gratuita ſua dilectione te ditauit.

Imò o pauper Chriſtiane, hinc dediſcito mirari perſonas diuitū, ac diſcito anteponere fratrē tuum pauperem, qui pius eſt & contentus ſua ſorte, diuitibus & potentibus omnibus, qui vitiorū ſordibus ſe inquinant, luxuriæ vacant, voluptatibus ſe totos dedunt, humi ſerpunt, & in res tranſitorias ſeſe demergunt. Ne tu illum parui pende, quem Deus fauore & regno ſuo dignatur: neq; iſtos illi antepone, ſed poſtpone potius, cùm præ iſto ſordeant illi in conſpectu Dei, qui odit omnes, qui operantur iniquitatē, etiamſi diuitiis Cræſum, & maieſtate *Cæſarem* aut *Alexandrum* præſtarent, ac anteirent. Pſal. 5.

Porrò, videmus hìc diuitias non vnius eſſe generis. Sunt enim diuites agris, nummis &c. Sunt autem, qui diuites ſunt fide, & donis Dei ſpiritualibus, ſed agris, nummis, & opibus externis carent. Sunt autem, ſed pauci, qui diuitiis & internis & externis, & poli & ſoli, ſunt inſtructi. Sed meliores ſunt diuitiæ fidei, quàm mundi. Perire enim poſſunt diuites mundi, ſed qui dives eſt fide, non poteſt perire. Qui credit in Chriſtum, non condemnatur, ſed habet vitam æternam, & Iob. 3. 18. Iob. 6. 43.

nam,& ſuſcitabit ipſum Chriſtus in vltimo die. Sine diuitiis poteſt homo placere Deo: *Atqui fieri non poteſt,vt ſine fide quiſquam ei placeat.* Iuſtificatur dives fide ſua,non diuitiis. Filij Dei ſumus fide per fidem in Chriſto *Ieſu*, non autem per diuitias mundi. Chriſtus inhabitat per fidem in cordibus noſtris, non per diuitias: in Chriſto libertatem habemus & aditum cum fiducia per fidem ipſius, non per diuitias tranſitorias. Multis igitur nominibus fides præſtantior eſt diuitiis.

Heb.11.6. Gal.2.16. Gal.3.27. Eph.3.11,17.

Crede igitur dives te beatiorem eſſe, quia credis, quàm quia diuitiis affluis:quia fide diueses,quàm quia es *Dives opum,dives pictai veſtis,& auri.*

Diuitiæ faciunt diuites apud mundum,ſed fides vera & ſaluifica facit diuites apud Deum. Fide enim Chriſtum & eius merita, tangimus,apprehendimus, & nobis ipſis in ſalutem noſtrum applicamus. Fide imus ad Chriſtum,imus in Chriſtum,induimus Chriſtum, quo induti non poſſumus perire,niſi ipſe Chriſtus nobiſcum etiá pereat, quod fieri nullo modo poteſt. Deniq;fide percipimus Spiritus Sancti dona. Vnuſquiſq; enim pro ſuæ fidei menſura compos & capax fit donorum Dei. Quare ſi inanes ſumus & inopes, id fidei noſtrę defectum indicat. Nam ſi modò fidei ſinum extendamus, ſemper paratus eſt Deus implere; vt rectè ait D. Caluinus in hunc locum. Nitamur igitur vt diuitias fidei habeamus: demus operam vt fides noſtra indies augeatur: neque turbemur, ſi fidem habemus,etiamſi Deus diuitias mundi nobis abſtulerit, aut etiam non conceſſerit.

Hæredes regni. Non poſſeſſores dicit,ſed hæredes. Dum enim paupertate premuntur, regnum cęlorum non capiunt,niſi fide & ſpe. Nam in illo beato regno nulla ſunt mala,nulla peccata,nullę pœnę,ibi nullus erit defectus,nulla penuria Hoc tamen ſolamen eſt, quòd homo paupertate afflictus poteſt interea eſſe hęres Dei,hęres regni longè omnium florentiſſimi.

Regnum hoc non eſt ſtipendium ſeruorum, ſed hæreditas filiorum & gratuitum Dei donum.

Nam in hoc regno nulla est inuidia, nullæ factiones, nulla diffidia, nulla omninò mala, sed perfecta charitas, & vnanimitas, & quicquid bonum est & amabile. Porrò, qui huius regni sunt, reges sunt omnes, & hæreditate potiuntur, quæ nō minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum: sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus: Omnia hæredum omnium desyderia explebit, qui hac vna in æternum contentissimi erunt.

Aug. in Psa. 49.

Deinde, qui regnum hoc possident, non possunt in exilium mitti, non possunt intra limites regni huius occidi, neq; vllis artibus eo priuari.

Denique qui hæredes sunt huius regni, & adhuc in carne sunt, beati tantùm beatitudinis spe non re, non possunt hi inuiti hæreditatem, quam spe expectant, amittere. Nemo poterit tibi hæreditatem tuam adimere, nisi patiaris cum volens te Deo auferre.

Non potes amittere hæreditatem Christi, nisi priùs dimiseris ipsum Christum. Deum igitur ames ac honores, & nunquam priuaberis hæreditate tua.

Hæredes regum non sunt semper hæredes Dei: neque Christi sunt hæredes, quia filij sunt Principum.

Hæreditas hæredum Christi melior est hæreditate hæredum regum secularium: proinde curent hæredes regum vt fiant hæredes quoque Christi, scientes se piis pauperibus multò miseriores esse, nisi Christum colant, & ei per omnia parere studeant.

Audi autem Pauper, paupertatem tuam æquo feras animo, & adhæreas Christo, quia licet summa rerum necessariarum inopia premaris, interea tamen locuples es, diuitias habes, quas non tenes re, sed spe, spe certè vera. Verus enim is est, qui eas tibi promisit. Non es diues, nec hæres diuitis: non est princeps: nec hæres regis: ne tamen despondeas animum; maior es, melior es, fœlicior es. Es enim filius Dei, membrum Christi, & hæres regni, *quod promisit iis, qui diligunt ipsum.*

Regnum hoc cæleste promissum iis dicit, qui Deum amant:

amant: non quòd ab amore noſtro pendeat Dei promiſſio: ſed vt doceat vocari nos à Domino in ſpem regni cæleſtis, hac lege & in hunc finem, vt eum, à quo vocamur, amore ſincero proſequamur. Finis ergo promiſſionis, non eius cauſa impulſiua aut meritoria hic notatur. Non ponit cauſas regnandi, aut meritoriam cauſam promiſſionis, ſed eorum conditionem & qualitatem, quibus promiſſio facta eſt, qui regnum promiſſum die præfinito accepturi ſunt.

Promiſſio regni pendet à Dei gratia, non ab hominũ meritis, quæ nulla ſunt.

Vt igitur certi ſimus nos hæredes regni gloriæ eſſe, Deum diligere nos oportet. Ad nos certè non pertinet promiſſio regni, niſi pectoribus noſtris inhæreat amor Dei. Manet eos mors æterna, qui cupiditates ſuas diligunt, & idola ſua colunt pro Deo. Finis enim illorum mors eſt. Ille deum diligit, qui ea, quibus nomen eius glorificet, exercet. Diligit Deum, qui hæredes Dei diligit. Turpiter igitur peccat, qui pauperes pios contemnit, & eos diuitibus impiis ac profanis poſtponit. Honoras hæredes regum & diuitum, quomodò igitur audes hæredes Dei contemptui habere? Certè mundum diligit, non Deum, qui diuitum hæredes honorat, & Dei hæredes cum contemptu tractat. Diuitias ille amat, non pietatem, non Deum, qui diuitias præfert pietati, & fidem poſthabet auro. Multi putant ſe verè Deum diligere, qui reuera Deum nõ diligunt, ſed ſeipſos miſerè decipiunt. Nam non diligunt Deum, qui præcepta Dei negligunt: Deum non diligunt, qui pro Deo nihil tolerare volunt: vbi amor, ibi animus: Deum igitur ij non amant, qui de Deo nõ cogitant. Cùm ſuperior diligitur, colitur: qui igitur non colit Deum, Deum neque diligit, ſed ſibi ipſi imponit. Qui verè amant Deum, ij planè amant res Dei, hoc eſt, gloriam Dei, mandata Dei, inſtituta Dei, amicos Dei: atque odio proſequuntur contraria iſtis, vt ſunt honores diaboli, præcepta carnis, dogmata hæreticorum, hoſtes Dei & Eccleſiæ Catholicæ. Ordinem diligendi non cuſtodiunt illi, qui aut mundum con-

temnendum diligunt, aut diuites magis quàm pauperes diligunt, idq; merè propter diuitias, aut Deũ plus, quàm ſeipſos & vniuerſa mundi bona, non diligunt.

Vos contumelia afficiſtis pauperem. Increpat eos, quòd quos Deus elegit, & magnifecit, hos ſpreuerunt, & cum contemptu tractarunt. Quod (vt diximus) grande eſt peccatum, vtpote quæ in ipſum Deum redundat. Nam amicorum omnia ſunt communia; non ſolùm commoda, ſed & incommoda, iniuriæ inimici. At pauperes Dei amici ſunt, iniuriæ proin iſtis illatæ, non fiunt abſque magna Dei ipſius iniuria. Creaturæ Dei ſunt pauperes pij triplici nomine, quà *homines*, qua *pauperes*, qua *pij*: atqui iniuria facta creaturæ redundat in ipſum Creatorem, neque leuem meretur pœnam. Qui autem iniuriam intulerit, referet iniuriam, quam intulerit: neque eſt perſonarum reſpectus.

Nonne diuites. Duobus argumentis oſtendit diuites impios non eſſe præponendos pauperibus pijs. 1. Abſurdum eſſet carnifices & oppreſſores ſuos ambitiosè honorare, & pauperes contumeliosè tractare, à quibus nunquam læduntur. Non loquitur Apoſtolus de omnibus diuitibus (ſunt enim quidam diuites viri pij, iuſti, ac miſericordes) ſed de quibuſdam Pſeudochriſtianis, ſiue manifeſtis fidei inimicis, qui poteſtate & facultatibus ſuis abuſi ſunt. Ait enim Ap. diuites iſtos impios tyrannidem exercuiſſe in Eccleſiæ filios, ſtudentes eos viribus & artibus ſuis opprimere.

2. Profani iſti diuites ad tribunalia eos traxerunt ex odio quo fidem Chriſti perſequuntur, atque blaſphemabant nomen & religionem Chriſti, quem iſti profitentur, & à quo *Chriſtiani* appellantur: ſtultum igitur eſt, & indignum, iſtos cum contemptu pauperum honorare. Qui enim gloriam Chriſti ſuperbè infamant, indigni ſunt, quibus honorem Chriſtiani impendant.

Iſtíne mores diuitum? Siccine Deum, diuitiarum authorem, facultatibus ſuis honorant? Diuitiæ bonæ ſunt,

sunt,sed diuites,qui carni seruiunt, & regnum Christi reiiciunt,mali sunt,& mancipia Satanæ. Diuitum est diuitiis suis vti,non abuti:honorare Christum diuitiis suis,non autem eius membra infestare. Leones, vrsi, lupi & serpentes vires suas experiuntur nocendo: oportet verò diuites,vt seruiant Deo,vires suas experiri iuuando,succurrendo,fouendo & benefaciẽdo. Damnandi igitur illi sunt omnes, qui diuitiis suis abutuntur ad fastum ac intemperantiam, & quo sunt potentiores,eo sunt deteriores,& in proximos iniquiores.

Quoniam autem ij honore indigni sunt,qui Christi nomen blasphemant & eius membra persequuntur, (reuera æternum contemptum & supplicium merentur)caueant sibi omnes magistratus & diuites,nequid iniuriæ Christi nomini,religioni, & cultoribus inferant.Quicunque Christum honorauerit,eum Christus glorificabit:qui autem Christum contemnunt, erunt ignobiles, contemptui habebuntur omnes, quanti-quanti sint.

Denique *bonum* nomen, non malum: *pulchrum* & pręclarum,non obscurum,ignominiosum,infaustum, aut infandum, *Nomen* scilicet *Dei*, & Domini nostri, *Iesu Christi*,inuocatur super omnes pios,tàm pauperes, quàm diuites; hoc est,vocantur populus Dei, Ecclesia Christi,Christiani,Christicolæ: caueant igitur sibi à diabolo,mundo & carne, ne ea faciant mala, ob quæ malè audiant, & nomen eorum glorioſum blasphemetur. Fugiant & auersentur scelera & vitia omnia, ne nomina aliena ipsis imponantur. Nomen Diaboli, mundi,& carnis meritò super illos inuocatur, qui diabolo seruiunt,mundum colunt, & cupiditatibus carnis obsequuntur. Nomen falsum,obscurum,odiosum fugis,spernis,fastidis? Errores fugito, à vitiis abstineto,malos mores& malè moratos declinato,Deum colito,Christum diligito, Ecclesiæ Catholicæ obedito, & bonum nomen Dei,Christi,& Ecclesiæ Catholicæ, Christi solius sponsæ vnicæ super te iure inuocabitur:

alioquin diceris Atheos, hæreticus, ſchiſmaticus, profanus, ſordibus, mundanus, antichriſtianus, aut aliquo alio malo nomine, non immeritò, licet ingratiis, appellaberis. Æquum enim eſt, vt nomen patris aut domini inuocetur ſuper filios & ſeruos ſuos.

Verſ. 8.

Quòd ſi legem regiam præſtatis ſecundùm Scripturam, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, benè facitis.

Legem regiam. Hoc eſt, legem Dei, qui rex ille magnus eſt cui vnuſquiſque parere debet, ſincerè ſtudens legem eius, quæ regia quædam via eſt, recta ſcilicet & plana, præſtare. Legem hanc perfectè nemo mortalium implere poteſt, tenetur tamen vnuſquiſq; ad omnia eius præcepta reſpicere, & ſibi ipſi diligenter cauere, ne per præſumptionem aut contemptum mandatum vllum tranſgrediatur, & in eius tranſgreſſione viuat, aut ſibi placeat & blandiatur. Hoc enim eſt Regem negare, religionem excutere, & ſemetipſum regem contra Deum conſtituere.

Sicut teipſum. Proportionem notat, non parilitatem: modum, non menſuram. Oportet nos proximos noſtros amare, vt nos ipſos, hoc eſt, verè, ſanctè, iuſtè, ſobrie, & ſine partialitate. Sicut diligimus nos ipſos, ſiue diuites, ſiue pauperes ſimus, ſic debemus proximos noſtros diligere, ſiue fuerint diuites, ſiue pauperes. Non igitur legem regis perficiunt, qui ſolos diuites honorant, & pauperes negligunt, deſpiciunt, & probrosè tractant. Non diuites ſolùm, ſed pauperes etiam proximi noſtri ſunt.

Verſ. 9.

Sin verò perſonam reſpicitis, peccatum commititis, & redarguimini à lege, veluti tranſgreſſores.

Non vult

NOn vult Apoſtolus nos rudes & inciuiles eſſe, ſed nobis cauere, ne perſonam diuitum miremur, & pauperes deſpectui habeamus. Legem enim, quæ partialitatem damnat, is planè violat, qui diuites cum pauperum contemptu honorat. Solent multi diuitibus, etiam improbis, auaris, oppreſſoribus, adulteris, ſacrilegis, blaſphemis, aſſurgere & geniculari, qui tamen pauperes, doctrina & virtutibus diuites, prætereunt inſalutatos, atque adeò flocci faciunt, aut etiam, quando ſibi libet, cum contumelia & contemptu manifeſto tractant. Hi omnes legem tranſgrediuntur: hęc enim honorem pauperum ſine reſpectu perſonarum præcipit & tuetur.

Verſ. 10. 11.

Quiſquis enim totam legem ſeruauerit, impegerit autem in vno, factus eſt omnium reus. Nam qui dixit, Ne mœcheris, dixit etiam, Ne occidas: Quòd ſi non fueris mœchatus, occideris autem, factus es tranſgreſſor legis.

HIs verbis probat eos legem tranſgredi, qui non diligunt & honorant pauperes, ſed cum contemptu tractant, & è contrario diuites ambitioſè colunt. Qui enim non diligit ac honorat omnes ſuos proximos, ſed aliquot contemptui habet, is legem violat, cùm ipſa præcipiat, vt colamus nos omnes noſtros proximos, diuites, pauperes, amicos, inimicos. Qui multa mandata præſtare videtur, & vnum tantùm tranſgreditur, is tamen integritatem legis violat, & in charitatem, qua legis omnia præcepta cuſtodiuntur, peccat, ſicut corpus lædit, qui vnum duntaxat membrum vulnerat. Etſi enim non *Totum* legis, tamen *totam* legem tranſgreſſus eſt, violata nimirùm legiſlatoris maieſtate. Qui vnicum legis apicem violat, is maieſtatem Dei violat. Deus enim in omnibus & ſingulis legis ſuæ præceptis loquitur, & ſe nobis offert. *Tota*

Auguſt. Epiſt. 29. ad Hieron. ſiue vno offenderit reus, quia contra eam facit (ſcil. charitatem) in qua pendet omnia.

lex (vt aiunt) *est vna Copulatiua*: vnus & idem est omnium eius præceptorum Legislator, & corpus eius est individuum: proinde violatio vnius præcepti trahit secum vtriusq; tabulę, & ipsius Legislatoris neglectionē & contemptum. Peccat igitur in Deum, totam Dei legem transgreditur, qui cum exceptione Deum colit, & ex proximis suis à Deo sibi commendatis nonnullos, videlicet pauperes, contemnit, & indignis modis tractat. Transgressor igitur Legis & *Omnium Reus* idem D. Iacobo significant.

Contemptor igitur pauperum, cùm sit transgressor legis, maledictionem legis incurrit. Maledictus enim est, qui non impleuerit omnia. Hanc maledictionem autem non effugiet, nisi pœnitentiam egerit, & ad Christum sese conuerterit, *Qui nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio.*

Vers. 12. 13.

Ita loquimini & ita facite, vt per legem libertatis iudicandi.

VErborum istorum hic scopus est. Qui per legem iudicandi sunt, nullam legis sententiam, ne minimum quidem eius præceptum debent negligere sed operam dare, vt vniuersa eius præcepta impleant. Debent igitur diligere & honorificè tractare omnes eorum proximos seu fratres, non eos tantùm, qui diuitiis aut honoribus præstant, sed eos etiam, qui vitam pauperem & obscuram degunt, & plurimis malis afflliguntur. Istis misereſcere, istis succurrere eos oportet. *Nam* (vt Ap. ait versu. 13.) *iudicium sine misericordia ei erit, qui non præstiterit misericordiam: & gloriatur misericordia aduersus iudicium.*

Hoc est, Qui nullam proximis misericordiam præstiterit, ei nulla quoque à Deo, iudice æquissimo, præstabitur misericordia sed vt præteriit aut etiam contempsit proximos, ita etiam Deus præteribit & contemnet

temnet eum: ſicut aſper & durus aduerſus fratres fuit, ſic Deus ſeuerus & aſper erit aduerſus eum: ſicut immiſericors fuit, ſic in iudicio nullam aſſequetur miſericordiam: è contrario homo miſericors, qui miſericordiam præſtitit, miſericordiam conſequetur, ac proinde ſecuro & confidenti animo erit in iudicio. Deus enim miſericordiam promiſit iis, qui miſericordes ſunt, & ex miſericordia miſeris opem ferunt & eleemoſynas faciunt.

Hinc diſcimus 1. Iudicium eſſe. 2. Homines iudicandos eſſe per Legem Dei. 3. Legem hanc regiam eſſe legem libertatis. Sic dicta, quia charitas, quam lex requirit, animum liberat, vt volentes obediamus Dei præceptis: & quia nemo ei ſtudet & operam dat, niſi liberetur à vinculis carnis ſuæ per gratiam Spiritus Sancti. Præcepta diaboli, mundi, carnis ſunt leges ſeruitutis, & mancipiorum: at quo quiſque magis eſt addictus legi Dei, quo lubentiùs ei obtemperat, eo eſt liberior, & à ſeruitute peccati magis alienus. 4. Iudicium Dei poſtulare vt bonis verbis ac operibus operam demus. Hæc enim ſunt vera argumenta fidei & timoris Dei: Dominus autem in Iudicio reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Vnuſquiſque ſuam mercedem recipiet ſecundum laborem ſuum. Vnuſquiſq; reportabit, quæ per corpus facta fuerint, prout fecerit, ſiue bonum ſiue malum. 5. Immiſericordiam hominum durorum excludere Dei miſericordiam. Vnde ſequitur pluſquàm miſeros eſſe, qui non præſtant miſericordiam proximis ſuis afflictis. 6. Veram miſericordiam in iudicio inſultaturam iudicio, id eſt, damnationi, morti, inferno. Etiamſi rigidi & immiſericordes peribunt in iudicio, tamen benè erit miſericordibus, & bonis. Hi enim miſericordiam conſequentur: Matth. 25. ſtatuet eos Iudex ad dexteram ſuam, & dicet iis, *Adeſte Benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à iacto mundi fundamento.* Matth. 5. 7. Miſericordes igitur ſimus, vt miſericordiam ipſi conſequamur. *Beati* (inquit

Christus) *sunt misericordes, quoniam ipsis misericordia tribuetur.* Quicquid seminauerit homo, hoc & metet. Vis vt exaudiantur preces tuæ? Audias tu quoq; precationẽ proximi laborantis. Da & dabitur tibi: succurre miseris, indulge, ignosce peccantibus, vt auxilium & veniam Dei ipse recipias. Qua tu fronte misericordiam à Deo petes, qui inexorabilem & immisericordem in fratrem te præbes ipsum? Quo tu ore rogas à Deo diligi & honorari, qui non diligis nec honoras proximum tuum? Es sobrius, castus, & eruditus: non es blasphemus, non es adulter, non fur, non garrulus: hęc te commendant coram hominibus: si tamen non sis misericors, misericordiam non consequeris. Durum iudicem Deum experieris, si durus in egenos fueris. Hos si despexeris, Deus te quoque despicatui ducet. Per quæ enim peccas per hæc etiam torqueberis. Vt te præbuisti immisericordem, durum, implacabilem, crudelem: ita inuenies Deum aduersus te durum, immisericordem, & nullis nec fletibus nec precibus conciliandum. Vt per immisericordiam peccasti, ita per immisericordiam punieris. Dices in Iudicio, *Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.*

Vers. 14.

Quæ vtilitas Fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, opera verò non habeat? Num potest fides illa eum seruare.

His verbis Apostolus ostendit fidem, quam hypocritæ iactant, vanam & inutilem esse, quia bona opera non faciunt; similes quibusdam arboribus infructiferis, aut nubibus, quę carent aquis. Non potest hæc fides, quæ nulla fert opera misericordiæ & charitatis, eos seruare: & quare? Quia scilicet non est vera iustificatorum fides, non est fides saluifica. Fides enim, quæ iustificat, est fęta bonis operibus, licet iustificet credentem ante eorum partum. Hæc enim fides duplicem

cem habet actum: primò iustificat hominem ea donatum: secundò producit bona opera. Fides enim illa, quæ est *iustificatiua*, est etiam *operum productiua*. Fides, quæ bonos fructus non edit, est spectrum aut simulachrum fidei, non ea est, qua iustus viuere dicitur, & iustificari. Pæribunt igitur ij omnes, qui non possunt probare fidem, quam habere se putant, bonis operibus.

Vers. 15.16.17.

Quòd si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu: dicat autem eis aliquis vestrum, Abite cum pace, calescite, & saturamini: non tamen dederitis eis, quæ sunt apta corpori, quæ erit vtilitas? Ita quoque fides, si opera non habeat, mortua est per se.

APta quadam similitudine ostendit fidem operibus vacuam inutilem esse, & merum fidei cadauer. Sicut enim charitas ea mortua est & inutilis, quando aliquis pauperes bonis verbis amandat, interea verò nihil eorum, quibus destituuntur, eis suppeditat: sic etiam fides inutilis est & mortua, quæ non producit bona opera. Quamobrem fides quam hypocritæ gloriantur se habere non rectiùs fides appellatur, quam cadauer animalis dicitur animal. Iac. 2. Luth. 6.

Vt igitur amica & speciosa verba non prosunt indigis, nisi etiam eis opem feras. Dominus enim non benè precari modò, sed eis benefacere & succurrere mandauit. Ita nec fides, operum bonorum inanis, saluare potest: quia si istis caret, non est fides illa, quę hominem iustificat, sed eius larua aut cadauer. Quemadmodum enim opera, quę homo facit, ostendunt eum viuere: ita bona opera charitatis ac pietatis demonstrant vitam fidei, quæ sanè mortua est, si non edat opera. Sicut autem homo mortuus speciem habet hominis, ea verò non potest agere, quę potest is, qui

viuit: sic fides mortua, quæ hypocritarum est, speciem habet fidei, sed non potest ea efficere, quæ potest fides viua & saluifica: hoc est, non potest hominem saluum
7. Tim. 5. & securum facere, non potest verè bonos fructus edere veræ charitatis, quæ inde fluit, tanquàm sanguis ex hepate, aut è sole lumen. Deinde, sicut egenos ludibrio habet, qui verbis bonis illos dimittit, nec ea, quæ opus sunt, ministrat, ita Deo illudunt, qui fidem sibi fingunt & imaginantur inanem, bonis operibus destitutam. Denique, si non prodest pauperes amicis verbis amandare, nisi simul & subuenias; qualis erit illorum exitus, qui eos conuitiis ac sibilis consectantur, & multas iniurias eis inferunt? Dicant igitur auari, rapaces, fœneratores, & immisericordes omnes, dicant quotiescunque voluerint, *Credo in Deum* Patrem, *Credo* in Dominum *Iesum* Christum, egregiam professionem faciant, inutilis tamen illorum est professio, & fides inefficax: mors manet eos æterna, quam declinare non poterunt, nisi pœnitentiam veram egerint, & pauperes, quos contemptui habuerũt, eleemosynis suis corde pietate affecto iuuerint. Christiani viuunt ex fide: cuius igitur fides mortua est, is ipse pro mortuo habendus est. Cadauer igitur ille Christiani est, non verè Christianus: corpus eius viuum est sepulchrum animæ mortuæ, qua nihil planè est miserius, qui vitam viuit operibus, misericordiæ & pietatis vacuam. Ille verò non solùm mortuus est, sed quàm pessimè fœtet, & putredine plenus est, qui crudelis & durus est, qui pauperes vexat, qui pupillos & viduas spoliat, qui miseros despicatur, qui egenos probris lacerat, verberat, aut maledictis & conuitiis amandat.

Vers. 18.

Quin dicet aliquis, Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam absque operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.

Hoc

HOc est, aliquis verè pius potest arrogantiam tuam, hypocrita, retundere, ita tibi obiiciendo. Tu, hypocrita vane, fidem habes, vt gloriaris: ego opera bona habeo. Tu, si potes, ostende mihi fidem tuam sine operibus tuis, & ego demonstrabo tibi fidem meam ex operibus, quæ ego facio. Loquutio est ironica, & ab impossibili argumentatur. Non enim potest ille probare se in Deum credere fide vera & saluifica, qui infidelem se vita sua prodit, quùm bona opera præstare non curet, sed fide operum pietatis & charitatis inani sit contentus. Opera enim bona sunt certa signa & indicia fidei. Fides, quæ in corde delitescit, operibus sese prodit, & visibilis fit. Fides producit bona opera, eorum mater & origo est. Opera non faciunt fidem, sed testantur: non sunt causæ fidei, sed effecta & comites. Non credit homo, quia operatur: sed operatur, quia credit. Fides illa, quæ caret operibus, est arbor arida & emortua, quæ non edit fructus: non est vera & certa fiducia, qua credentes acquiescunt in virtute, veritate, gratia & misericordia Dei, quæ similis est arbori bonæ, quæ fructum bonum edit, nec inutiliter hortum occupat.

Opera credentem indicãt. Fides operibus innotescit. vid. Primas. in Rom. ca. 3. vult D. Iacobus vt fidem suam per opera probarent, vid. Bedam in Iacob. 2.

Vers. 19.

Tu credis quòd Deus vnus est: rectè facis: dæmonia quoque credunt & horrescunt.

NOn loquitur Ap. de fide, qua iustificamur, sed de vulgari Dei notitia, quæ hominem nihilo beatiorem reddit, quam aspectus auri facit diuitem, eúmq; *Deo nihilo plus coniungit, quàm solis aspectus euehit in cælum.* Credat hypocrita Deum esse, Deum vnum esse: hunc vnum Deum tamen si factis suis negauerit, si membra Christi Dei egena facultatibus suis non subleuauerit, si cupiditatibus carnis suæ indulserit, nihil proderit

Caluin. in hunc locũ. Multi stupidiores ipsis diabolis nõ metuunt tremenda Dei iudicia.

fides eius infructuosa, sed vnà cum diabolo, qui etiam credit quodammodo & contremiscit, abibit ad supplicium æternum, in pœnitentiam maturè egerit, & meliori fide crediderit, ea scilicet, qua in Deum ire ac tendere, ei adhærere, & acquiescere, necnõ eius membris incorporari, eúmq; diligere dicuntur ij, qui credunt. Si enim fides illa infrugifera, de qua gloriantur hypocritæ, fides ea esset, qua iustificamur, ipsi etiam diaboli iustificati essent. *Quamprimùm* (inquit D. Chrysost.) *homo credidit, confestim iustificatus est.* Aut igitur omnes, qui credunt Deum vnum esse, iustificantur, quod falsum est: aut certè alia fides præter hanc generalem, est, qua fideles iustificantur: atque hæc ea est, quam nulli hypocritæ habent, videli et ea animi *fiducia*, quæ parit charitatem, & per charitatem agit ea, quæ Deo placent, & Proximo prosunt: hæc ea est, quæ Christum recipit & induit, ac eo solo contenta est.

Math. 25.

Aug. tract. 29. in Ioha.

In Rom. 3. homil. 7.

De qua Bernard. Non reponis oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ. De Annunt. Serm. 3.

Ioh. 1. 12.

Vers. 20.

Vis autem scire, ô homo vane, quòd fides absque operibus mortua sit?

VAnus is homo est, cui fides in est operibus vacua: nam fides vana facit vanum hominem. Porrò, is vanus est & vento plenus, qui putat se posse saluari fide, quæ otiosa est, & operum expers. Deinde, is vanus est, qui gloriatur de eiusmodi fide, ac si esset verè Christianus, & dilectus Christo. Denique is vanus homo est, qui se satisfeciisse officio suo imaginatur, & religionem suam iactat, quia nuda fide credit Deum esse: id quod dæmones faciunt, & tamen vinculis æternis sub caligine reseruantur. Sciant omnes hypocritæ, qui sibi ipsis blandiuntur & imponunt, fidem operum inanem esse mortuam: non quòd opera vitam fidei tribuunt, sed declarant: non faciunt fidem viuere, sed testantur:

Iudæ.

ſtantur: ſicut poma non dant vitam malo, ſed indicant malum viuere & viribus præditam eſſe.

Verſ. 21.

'Abraham pater noſter nónne ex operibus iuſtificatus eſt, quum obtuliſſet Iſaach filium ſuum ſuper altare?

DVobus Scripturæ exemplis docet fidem veram & viuam operibus ornatam eſſe, tanquam arborem foliis & fructibus ſuis. Primum eſt *Abrahami*, patris credentium, qui fidem ſuam oblatione filij iuxta præceptum Dei ei datum comprobauit. Oportet ſimiliter fideles omnes opera bona facere, eáque offerre ſuper Chriſtum, Chriſtianorum altare ſpirituale, eíſque ſic oblatis fidem, qua in Deum trin-vnum credunt, teſtatam facere. Quum dicit *Abrahamum* operibus iuſtificatum eſſe, non ita accipit verbum iuſtificationis, vt ſignificet hanc oblationem *Iſaaci* cauſam meritoriam eſſe, propter quam Deus ei peccata ſua remiſit, & vitam æternam dedit: hæc enim eſt iuſtitia Chriſti fide apprehenſa: ſed vult Apoſtolus *Abrahamum* offerendo filium ſuum declaraſſe ſe iuſtificatum fuiſſe. Idem enim eſt, acſi dixiſſet, Nónne ex operibus iuſtus declaratus eſt, nónne compertus eſt iuſtificatus fuiſſe? Opera enim iuſtificant *declaratiuè*, non effectiuè. *Sequuntur enim iuſtificatum* (vt rectè ait Auguſtinus) *non præcedunt iuſtificandum.* Atque Apoſtolus non hîc de cauſis iuſtificationis aduerſus hæreticos diſputat, quod fecit Diuus Apoſtolus *Paulus*, ſed de teſtimoniis & effectis, ex quibus dignoſci poſſit, aduerſus hypocritas, qui fidem iactabant operibus, & quouis pietatis officio vacuam.

Dicitur Abraham immolaſſe ſuũ filium, quod de voluntate, & promptitudine eius intelligendum eſt, non de ipſo facto. Gal. 2. 16. Scientes non iuſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Chriſti.

Aug. de fide & oper. cap. 14.

Vers. 22.

Vides, quòd fides cooperata fuerit eius operibus, & ex operibus fides perfecta fuerit?

DIcit fidem cooperatam fuisse eius operibus, quia ea protulit: non otiosa & infrugifera erat, sed efficaciter opera bona edebat, cuius erant comites & effecta. Dicit præterea fidem eius ex operibus perfectam fuisse: hoc est, veram declaratam fuisse. Non quòd inde suam perfectionem accipiat, sed quòd vera esse inde comprobetur, vt rectè ait Beatus *Caluinus*. Quicunque igitur volunt veritatem fidei, qua credunt, patefacere, discant benefacere. Probatio enim fidei exhibitio est operis. Fides, si vera est, otiosa non est, sed per charitatem efficaciter agit, quæ bona sunt. Gal 5.

Vers. 23.

Atque impleta est Scriptura, quæ dicit, Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam, & amicus Dei vocatus est.

TVm impleta fuit Scriptura, hoc est, id quod scribitur Genes. 15. 6. *Credidit Abraham Deo* &c: quum nimirùm obtulisset filium, quia hoc facto *Abrahamus* declarauit se verè antea fide fuisse iustificatum. Impleri inquam Scripturam dicitur, quùm planè perspectum est, quàm verè illud fuerit de *Abrahamo* scriptum. Errant, qui putant *Abrahamum* iustificatum esse coram Deo hac filij sui oblatione. Nam Scriptura pronuntiat eum iustum fuisse priusquàm *Isaac* natus erat. Fateor quidem *Abrahamum* hoc facto iustificatum dici posse eo sensu, quo quis magni prædij emptione ditari dicatur, quia eius diuitiæ, quæ priùs occultæ in arca clausa latebant, omnibus nunc manifestæ sunt.

Addit

Addit autem Abrahamum *amicum Dei* vocatum esse: sic vocatur Is. 41.8. Deus enim *Abrahamum* dilexit, ac Abrahamo charus fuit. Non enim vnico filio suo pepercit: sed iubente Deo, alacriter eum Deo obtulit. Multi putant se esse amicos Dei, eúmq; vero charitatis affectu prosequi, qui tamen inimici potius sunt habendi, quàm amici. Amari enim non nisi nota possunt: ignoti enim nulla cupido. Quomodò igitur Deum amant, qui Deum nesciunt, nec scire curant? Non amatur, quod propter se non amatur: multi verò Deum amant (si amare dici possint) non propter se, sed propter diuitias, honores, & res caducas. Hæc si Deus abstulerit, abeunt, sub cultro linquunt. Qui Dei amici veri sunt, iidem veritatis sunt amici: plurimi verò veritatem amant vestitam opibus, honoribus, pace: afflictatam autem & aduersis plurimis agitatam deserunt, nõ agnoscunt, atq; adeò sæpiùs persequuntur. Amor purus mercenarius non est: isti verò non amant ipsam veritatem, sed externa tantùm bona, quæ nonnunquam eam comitantur. Isti sequuntur veritatem, vt lupi prædam. Amicus certus in re incerta cernitur, indigni igitur sunt, qui vocentur Amici Dei, qui nolunt aduersa ferre, sed pacem mundi præponunt paci Christi, & caduca bona præferunt euangelio Dei. Coniunctio animorum amicos facit. Idem velle atque idem nolle, ea demùm vera amicitia est. Qui igitur volunt, quæ Deus nolit, & nolunt, quæ Deus vult, qui discordes sunt, & quæ Dei sunt, non sapiunt, non amant, sed contraria agunt, & amore prosequuntur, quomodò amici Dei iudicandi fuerint? Ne erremus igitur: sed amicitiam nostram patientia, charitate, & operibus nostris arguamus. Dei amici veri Deum verum habent: quem qui habet, diues est: quo quicunque caret, pauper est, nihil est. Imitemur patrem nostrum *Abrahamum*: præponamus Deum amicum nostrum bonum filiis nostris dilectissimis, & omnibus huius mundi bonis. In memoria semper habeamus, quod Christus dicit Iohan. 15.24.

Non pauci putant se Deum nosse: eis verò noti nulla est cupido, nullus amor.

Vers. 24.

Videtis igitur ex operibus iustificari hominem, & non ex fide tantùm.

Opera non sunt causa quòd aliquis sit iustus apud Deum, sed potiùs executiones, & manifestationes iustitiæ. Tho. Aquinin Gal. 3. 10. Lect. 4. Math. 25.

HOc est, Proinde liquet ex operibus bonis iustum comprobari aut declarari hominem, & non ex hoc tantùm, quia credit Deum vnum esse, eiúsque religionem profitetur. Iustificari enim operibus *Iacobo* dicitur, cuius iustitia ex bonis operibus, quæ præstat, cognoscitur & approbatur. Hæc fidem, qua sola iustificamur, comitantur, & de ea testantur. Nam duo sunt principia rerum; vnum *Existentiæ*, alterum *Cognitionis*. Fides vt principium existentiæ facit, vt simus iusti: opera autem vt principium cognitionis faciunt, vt cognoscamur iusti. Ac proinde Iudex laturus est sententiam suam secundùm opera, quia opera nobis notiora sunt, vt potè effecta, quæ sunt notiora, quàm causæ ipsæ. Vult autem Deus omnia in extremo iudicio visibilia esse, & sensu nota, vt fiat iudicium de vera ac viua fide ex suis naturalibus proprietatibus & veris effectis, ne larvam fidei seu cadauer pro vera fide iactemus.

Rom. 3. 28. Concludimus igitur fide iustificari hominem absque operibus legis.

Verùm enim verò homo iustificatur Diuo Paulo, qui coram Deo absoluitur à reatu & condemnatione, & pro iusto habetur. Deus autem hominem iustificat, nõ propter opera sua, sed propter merita Christi fide apprehensa. Sola autem fides iustificat, quia ipsa vnicum est instrumentum, & vnica facúltas in nobis, qua recipimus iustitiam Christi. Sola Christi iustitia est meritoria causa iustificationis Christiani: non autem opera bona: fides autem vera & viua, & operum fœcunda, Organon illud cæleste est, quod Christum recipit & amplectitur. Hæc nos iustificat, nõ energeticè aut merito suo, sed organicè duntaxat. Nam quoad iustificationem res est merè passiua fides, nihil afferens nostrũ ad con-

ad conciliandum Dei gratiam, sed à Christo recipiens, quod nobis deest. Quemadmodum igitur manus, quæ recipit thesaurum donatum, non ditat, sed thesaurus: sic nec fidei opus, vel actio nos iustificat, sed ipse Christus, quem fide apprehendimus. Atque hanc doctrinam antiquam esse, & catholicam, testimonia Patrum & maiorum nostrorum infallibiliter ostendunt.

Sic enim Græci docuerunt. Clem. Alexandr. *Per fidem solummodò efficitur fidelis perfectus.* Strom. li. 7.

Origenes: *Apostolus dicit sufficere solius fidei iustificationem, vt credens quis tantummodò iustificetur.* In Rom. c. 3. lib. 3.

Athanasius: Apostolus nunc planè *demonstrat fidem ipsam, etiam solam, iustificandi in se habere virtutem.* Athan. in Galat. cap. 3.

Basilius ait eam esse perfectam gloriationem in Deo, quando quis agnoscit se quidem vera destitui iustitia, *verùm Sola in Christum fide iustificatum esse.* Homil. de Humilit. πίστει μόνῃ.

Greg. Nazianzenus requiri docet ad iustificationẽ *tantummodò credere τὸ πιστεύσαι μόνον. lib. περὶ ἐυταξίας.*

Epiphanius sic scribit: *Ex fide est iustitia citra opera legis.* Epiph. Ancorat.

Chrysostomus sic habet: *Si credis, cur fidei alia infers, quasi fides non sufficiat iustificare sola?* In Tit. Homil. 3.

Theodoretus sic: *Sola fide allata remissionem peccatorum accepimus, quoniam velut redemptionis quoddam pretium Dominus corpus suum obtulit,* in Rom. cap. 3. Et in Rom. c. 2. sic scribit, *Ostendit Apostolus vnius iustitiam fuisse communis peccati salutare medicamentum.* Vid. plura apud Theodoret. ibid.

Oecumenius: *Gratis, hoc est, absque tuis rectis operibus salutaris:* ac rursus ita, *vt nihil conferas aliud præter fidem.* In Rom. c. 3.

Theophylactus similiter: *Demonstrato quòd lex maledictos faciat, fides verò benedicat, ostendit iam nunc & quòd sola fides iustificat,* In Rom. cap. 9. Græcos audiuimus. Vid. Theop. in Gal. 3.

Adstipulantur Latini. Cyprianus ait *fidem in totum prodesse & tantum nos posse, quantum credimus.* Rursus: *Quisquis Deo credit & fide viuit iustus inuenitur,* epist. 63. Lib. testim. aduers. Iudæos.

Hilarius: *Sola enim fides iustificat,* In Ma. can. 8. & can. 22.

Ambr. in Rom.3. Ambrosius: *Iustificati gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide iustificati sunt.* Et: *Nemo glorietur in operibus &c: fides ergo est, quæ liberat per sanguinem Christi,* Epist.72.

Hieronymus: *Non ex operibus legis, sed sola fide, sicut gentes, vitam in Christo inuenisse te nosti:* in Rom.3.

Aug.lib. de spir.& lit.ad Marcell. ca. 13. Augustinus: *Colligimus non iustificari hominem præceptis bonæ vitæ, nisi per fidem Iesu Christi.* Rursus: *Gratia per Dominum nostrum Iesum Christum, in qua nos sua, non nostra, iustitia iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est:* Contra Pelag.& celest.de grat.Christi,lib.1.c.47.

Lib. de vocat.gent. Prosper: *Iustificati sumus gratis, quia* nihil *operantes, neq. vicem reddentes, sola fide iustificati sunt dono Dei.*

Primasius: *Impium per solam fidem iustificat Deus, non opera:* In Rom.5.

Gregor.mag. *Iustitia Dei fides est, sicut scriptum est, Credidit Abraham Deo* &c. In pœnitential.Psal.4.

Beda: *Per iustitiam factorum nemo iustificabitur, sed per solam iustitiam fidei:* in Psal.77.

Ita etiam Aquin. Non est ergo in eis spes iustificationis, sed in sola fide : in 1. Tim.1.lec.3. Bernardus profitetur se credere *Sola fide hominem posse saluari:* Epist.77. Et epist 90. *Cur non aliundè iustitia, quàm aliundè reatus?*

Inepti igitur sunt, aut planè impudentes, qui affirmant doctrinam de sola fide iustificante nunquam fuisse ante *Lutherum* auditam. Cæterùm hæc ego non scribo, ac si opera bona essent negligenda, sed vt extollatur gratia Dei Patris, & iustitia Domini nostri *Iesu* Christi fide vera apprehensa.

Eph.2.10. Perk.Probl. cap. de fide. Fateor quidem ingenuè opera bona ad salutem necessaria esse; non quòd mereantur salutem, sed quia sunt à Deo præparata, vt in eis incederemus. Licèt enim fides (vt memoria dignus Guil.Perkinsus scribit) qua organum Christi apprehendendi ad iustitiam & vitam, sola sit: tamen qua via salutis, non sola est. Vnde agnoscimus (inquit) non solam fidem requiri ad salutem, & ad vitam bene agendam, sed opera etiam & virtutes alias. Hæc ille.

Errant

Errant igitur,& damnandi ſunt, qui putant ſe fidem veram habere,& iuſtificatos eſſe,intereà verò humi ſerpunt,inquinamentis mundi ſeſe polluunt,ventri ſeruiunt,afflictiones *Ioſephi* obliuiſcuntur,& fidem ac religionem ſuam bonis operibus demonſtrare, & decorare non contendunt,non cogitant. Firmiſſimè teneo eum non eſſe iuſtificatum fide, in conſpectu Dei,qui non ex animi ſinceritate, & virtutis amore, conatur iuſtificare ſe & fidem ſuam bonis operibus,in conſpectu hominum. *Fides per ſeipſam pleua eſt bonis operibus*:non ergo verè in Chriſtum credit,qui aut vitiis ſuis indulget,aut bonis operibus vacuus,eſt. Chryſoſt. homil. de fide.

Verſ. 25.

Similiter autem & Rahab meretrix annon ex operibus iuſtificata eſt,quum excepit nuntios,& alia via emiſit?

HOc ſecundum eſt exemplum, quo docet fidem, quæ iuſtificat,non eſſe operum inanem: à *Rahab* ſcilicet deductum,quæ & ipſa,vera fide ſe iuſtificatam eſſe ex operibus indicauit. Iuſtificatur igitur non qui fidē qualicunque ſit præditus, ſed ea fide,quam opera conſequantur.Conſultò autem Apoſtolus *Abrahamum* & meretricem hanc ethnicam, perſonas valdè diſpares ſimul hic copulat, quo euidentiùs monſtraret (vt Caluini verbis vtar)nullum vnquam, cuiuſcunq; eſſet vel conditionis,vel gentis,vel ordinis, fuiſſe abſq; bonis operibus inter iuſtos ac fideles habitum. Quiſquis ergo iuſtus cenſeri cupit, etiam vt inter infimos locū aliquem habeat, bonis operibus ſe talem oſtendat. Non ſufficit opera bona prædicare: debemus ea præſtare. Oportet non ſolùm ſcire,quid agere debeamus: oportet etiam agere. Malè enim ſcit, qui malis actibus operam ſuam dat. De Domino dicitur,quod *non nouerat* peccatum,& intelligitur. *Non fecerat*:ſic & opera bona ille verè dicēdus eſt noſſe,qui facit. Cæterùm 2.Cor.5.

nos opera bona facere necesse est, non quoad externam tantùm speciem, sed, nè deciperemur, ea nos facere etiam oportet, non timore, sed amore: non formidine pœnæ, sed dilectione iustitiæ: non seductos spe gloriæ vanæ, sed ductos certa expectatione mercedis æternæ: deniq; animo glorificandi Deum, subleuandi Proximum, & obturandi os aduersariis. Qui sic faciũt, scire debent, & sibi certò persuadere, se verè in Deum credere, ac vocatos, iustificatos & sanctificatos esse: spẽ autem vitæ æternæ in seipsis fouere licet, atq; etiam benedictionum corporalium. *Pietas enim habet promissiones huius & futuræ vitæ.* 1 Tim. 4. 8.

Vers. 26.

Nam sicut corpus absq; spiritu mortuum est, ita & fides absq; operibus mortua est.

DIsputationem suam de fide & operibus concludit eleganti similitudine, qua ostendit fidem operum inanem non posse hominem iustificare, quia eiusmodi fides mortua est. Fides enim mortua non iustificat hominem: sed fides inanis operum est mortua: ergo nõ iustificat hominem. Assumptionem illustrat. cùm ait fidem operibus vacuam mortuam esse, vt corpus spiritu destitutum. Nõ hoc dicit, ac si opera essent ipsa anima, aut vita, vel flatus animæ. Anima enim corpus animat, & agit, atq; ipsissima hominis forma est: ac opera non viuificant, agunt aut informant fidem, sed veræ fidei sunt comites & effecta quędam, siue fructus, quos fides edit. Sed Apostolus hoc vult significare, videlicet fidem operum inanem, & merè otiosam, tam verè mortuam esse, quàm corpus, quod efflauit animã, aut supremum exhalauit spiritum. Quemadmodũ autem mortuus homo non est homo, ita nec fides mortua: ac proinde nihil prodest. Sicut corpus spiritu, seu vita priuatum aut vacuum nullum facit officium, non

mouetur,

mouetur, nemini vtile est, sed ratione, sensu, motu, & virtute caret, & reuera nihil aliud est, quàm cadauer, esca vermium, & putredini subiectum: ita fides operum bonorum inanis putidum cadauer est, inutilis est, vilis est, inane nomen est, non potest hominem saluare, damnabit potius, quia mortua est.

Caueant igitur hypocritæ sibi à se: ne glorientur de fide ipsorum infrugifera. Possunt seipsos fallere: non possunt Deum decipere. *Deus non subsanatur.* Omnia eorum effugia vana sunt, quia negotium sit cum Deo, qui totus oculus est, & omnia videt: nec magis oculatus est, quàm iustus: horrendum autem est in eius manus ferreas incidere. Fide certè vera, viua, & operum fœcunda, nihil suauius, nihil vtilius possessori suo potest inueniri: sed fide fucata, mortua & infrugifera nihil fallacius, nihil inutilius est. Hanc qui habet, hypocrita est, abominatio est, cadauer putidum est, sibi & aliis inutilis est, sarmentum aridum est, & in ignem abiicietur. Credamus igitur in Deum verè, ac fidem nostram operibus bonis exprimamus. Vult nos Deus fidem habere, vult etiam nos opera bona facere. Quæ Deus iubet, faciamus. Melior est obedientia, quàm sacrificium, quàm victimæ omnes. Nam per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur, vt Greg. ait. Vnusquisque autem pro operibus, quæ fecit, mercedem accipiet. Afflictio & angustia erit aduersum omnem animam hominis perpetrantis mala; gloria verò, & honor, & pax erit cuiuis operanti bona. Ad hanc gloriam is nos perducat, qui eam nobis præparauit, *Trin-vnus* nempè Deus; cui sit gloria & honor in secula seculorum, Amen.

Gal. 6.

In cœlis nulli sunt, qui non diligũt: in inferno nulli sunt, qui non credunt. Non est atheos in inferno, nec polytheos aut idololatra in cœlis.

FINIS.